






P


600005108K



fun^2 1829

RSARIORUM

2

ATONIS,

RTATIO DE
. I.,

JS GRASER
R. NAUMBURG.

E
RTMANNI
VIII.

SPECIMEN ADVERSARIORUM

IN

SERMONES PLATONIS,

CUI PRAEMISSA EST DISSERTATIO DE
HORAT. SERM. I. L. I.,

SCRIPSIT

FRIDERICUS GUILIELMUS GRASER

DR. PHIL. ET GYMNAS. CATHEDR. NAUMBURG.
SUBRECTOR.

LIPSIAE

SUMTIBUS C. H. F. HARTMANNI

A. MDCCCXXVIII.

Ad lectorem.

Quum ante has sex fere hebdomades Naumburgum nuntiatum esset, Virum Excellentissimum, L. B. Stein de Altenstein, cujus insigni rerum scholasticarum in nostra civitate curae etiam Gymnasium Cathedrale Naumburgense multa ac magna beneficia debet, hoc mense in hanc urbem venturum ibique aliquot dies commoraturum esse: magistrorum hujus Gymnasii collegium uno consensu decrevit, Viro Excellentissimo, quem id pro singulari humanitate sua non aegre laturum esse confidebant, libellum offerre, quo tum laetitiam suam, quod illum in hac urbe videre contingeret, significarent, tum summam testarentur reverentiam suam ac pietatem, qua illum summorum sibi beneficiorum auctorem venerarentur. Ejus autem libelli conscribendi negotium honorificentissimum quum nobis mandatum esset: primum quidem, quoniam non multum temporis ad scribendum concessum erat, nihil nisi dissertationem, quam in limine libelli accipis, de Horatii Sermone l. I. primo exhibere in animo erat: post, ubi adventus Viri Excellentissimi de die in diem differretur, ea opportunitate ita utendum putavimus, ut specimen Adversariorum, quae conscripta habemus in Platonis libros, adderemus. Quo specimine quae continentur, consulto eo delectu excerpsimus, ut alia artem criticam, alia exegeticam, alia grammaticam, alia lexicographicam spectarent: ex quo existimare liceret, qualem nos Platonis scriptis in omni hoc genere operam navaturi essemus. Superest, ut notemus errores typothetae.

P. 4, v. 6. lege esset pro esse. — P. 5, 28. l. deferimur p. defferimus. — P. 6. infra post Ne plura Comma pone. — P. 7, 9. l. fere p. vere. — P. 8. v. ult. l. laborat p. laboret. — P. 13, v. 28. l. aestus p. aestas. — P. 15, 23. l. habeas p. habeat. — P. 18, 17. l. machina p. maxima. — ibid. v. 19. posset p. possit. P. 19, 25. l. his p. hic. — P. 24, 35. *εἰδέναι* p. *εὐδέναι*. — P. 25, 13. *Ζῆν* p. *Εῆν*. — P. 34, 22. post Xen. Mem. adde I. 5, 3. — P. 36, 4. l. *Erkenntnisse* p. *Bekenntnisse*. — P. 41, 5. l. quantam p. quantum. — P. 45, 18. discriminis p. discriminus. — P. 46, 34. l. eum p. cum. — P. 57, 30. post Clitoph. adde p. 468, 20. —

P. 65, 15. praesenti p. praesente. — ibid. v. 24. κηρύξων p. κηρύξων. — P. 67, 5. l. ὀνειδίζων p. ὀνειδί ων. — ibid. v. 24. si e p. sic. — P. 69, 29. debeant p. debeat. — P. 70, v. ult. commorata p. commemorata. — P. 71, 22. τάς p. τά. — P. 74, 16. oratio p. ortio. — P. 75, 8. dum p. tum. — ibid. v. 29. bis l. πείσοντα p. πείσαντα. — P. 77, 33. differant p. differunt. — P. 80, 20. διωμολογησάμην p. διομολογησάμην. — P. 82, 19. sequenti p. sequente. ib. v. 20. exposuerat p. exposueret. ib. 29. *verständigen* p. *verständigend.* — P. 83, 7. ἐπίσκεψαι p. ἐκίσκεψαι ib. v. 28. *wiederrufen* p. *widerrufen.* — P. 85, 5. τοίνυν p. τοίνον. — P. 86, v. ult. faciamus p. aciamus. — P. 88, 6. οἶδα p. οὖδα. — P. 89, 33. l. κατακοσμήσεως. — P. 90, 23. ποικιλίας p. ποικλίας. — P. 91, 22. ἰσχνός p. ἰσχύος. — P. 92, 8. est p. post. ibid. v. 30. crassi p. crasi. — P. 93, 12. debitor p. debiter. — ibid. v. 22. l. debeam p. debam.

Nostro autem errore factum est, quod ad quam disputationem te ablegavimus p. 35, v. 23. de Protag. l. p. 155, v. 2., eam supra omisimus. Singularis enim ille est usus μή particulae interrogativae, quum verbo, ex quo pendeat, nullo praemisso tamen non habet vim negandi. Est autem is usus ita explicandus, ut memineris, in talibus locis interrogationem ipsam, quae speciem habet directae, revera obliquam esse, omisso scilicet verendi verbo ante μή: nam in obliqua quidem interrogatione (Cf. p. 36. infra et sq.) etiam legitimum est, μή illud negandi vi carere, excepta ea ratione, de qua disputavimus p. 38. Protagorae igitur locus ille sic se habet ed. Bekk. p. 155, v. 2. ed. Heind. §. 8. *Ἀλλ᾽ ἄρα, ὦ Ἱππόκρατες, μὴ οὐ τοιαύτην ὑπολαμβάνεις σου τὴν παρὰ Πρωταγόρου μάθησιν ἔσεσθαι, ἀλλ᾽ οἵαπερ ἡ παρὰ τοῦ γραμματιστοῦ ἐγένετο καὶ κιθαριστοῦ καὶ παιδοτρίβου.* Construes μὴ ὑπολαμβάνεις, οὐ τοιαύτην — ἔσεσθαι —, interpretaberis *Aber, Hippokrates, ob du nicht etwa meinest, dass dein Unterricht bey dem Protagoras nicht von solcher Art seyn soll, sondern so, wie* etc.: nam μὴ ὑπολαμβάνεις est, *an forte putas*, i. e. crediderim equidem te putare. Cui loco geminus hic est, Men. p. 367, 10. ed. Bekk. p. 89. ed. Steph. *Ἴσως, νὴ Δία· ἀλλὰ μὴ τοῦτο οὐ καλῶς ὡμολογήσαμεν* i. e. *aber ob wir das nicht unrichtig zugegeben haben*: id quod est sine vi interrogandi, vereor ne non recte hoc a nobis concessum sit.

Scribebam Naumburgi M. Julio
A. MDCCCXXVIII.

Q. Horatii Flacci poemata indefesso studio etiam praestantissimorum ingenio pariter ac doctrina virorum ita illustrata et emendata sunt, ut, quamvis unum alterumve locum nondum satis explicatum esse facile concesseris, at vitia manifesta a nemine dum deprehensa in versibus toties pertractatis adhuc latere vix dicas credibile esse. Atque, ut unum virum appellem instar omnium, quid credas vitii fugere potuisse sagacitatem R. Bentleji. Hinc nos oblata singulari hac scribendi opportunitate operae pretium esse duximus, de uno ejusmodi loco, cujus haud levis corruptela viros doctos latuit, quae meditati sumus exponere.

Sermon. I. 1. v. 108.

„*Illuc, unde abii, redeo. Nemone ut avarus*
Se probet, ac potius laudet diversa sequentis" etc.

Unus, quod scio, omnium interpretum hoc loco offensus est Heindorfius: sed is quoque, dum a leviore quodam errore cavendum esse docet, vitium longe gravissimum praetervidit. Monet enim, quod jam a F. A. Wolfio notatum erat, ne quis in *ut* particula comparandi vim inesse existimet: quo sane omnis hujus loci ratio valde perverteretur, si verba „*Nemone ut avarus se probet?*" hoc sensu dicta acciperes: *Nemone, quemadmodum avarus, se probet?* Vult igitur conjuncta utraque particula — *ne ut* admirantis hanc orationem esse; quem dicendi modum compluribus veterum scriptorum locis confirmat. Sed vel sic unum dicit superesse, quod notandum sit. Neque enim hanc jam horum verborum sententiam esse posse: „*Wie nie doch ein Geizhals*

selbst sich gefällt": quoniam ipso nomine avari posito causa sortem suam improbandi declarata sit, ut nihil attineat amplius mirari. Quare *avarus* vocem negat cum vocabulo *nemo* ita jungendam esse, ut dicatur *nemo, qui avarus est*: sed esse *avarus* nomen ad verbum *probet* referendum, ut causae significatio insit, quasi *utpote avarus* esset scriptum. Addit idem, verba „*Nemone ut avarus se probet?*" idem fere esse atque „Omnesne ut se non probent avari?": quorum hanc vim esse vult: „*alle sind mit sich unzufrieden als avari, aus Habsucht*," sive „*Habsucht also ist die Leidenschaft, die bei jedem dieser Unzufriednen zum Grunde liegt.*"

Haec igitur Heindorfius: quae retuli, ne viderer temere neglexisse. At ut praeteream, subtili ista ratione, qua vir in primis et latine et graece doctus vocabula *nemo* et *avarus* sejunctim accipienda esse censet, corrumpi videri cum gratissima simplicitate etiam elegantiam quandam orationis, id quod haud dubie non fugit F. A. Wolfium: longe gravius notandus est alius error, manifestus, in quem incidit hic pariter atque ille. Quid enim? Num omnino verba illa, ut nunc quidem scripta leguntur in libris editis, nisi confundas diversissima, eam vim habent admirandi, quam interpretes iis tribuunt? Sive enim cum Wolfio, summo viro, interpretari placet, *Wie nie doch ein Geizhals selbst sich gefällt*: istuc quidem latine dicendum erat omissa interrogandi particula *ne* et modo verbi adhibito indicativo, *Ut nemo avarus se probat*. Sive Heindorfium secutus hanc sententiam esse vis, *Alle sind mit sich unzufrieden aus Habsucht*, s. *aus Habsucht ist niemand mit sich zufrieden?*; id vero certe omissa *ut* particula scriptum oportebat, *Nemone avarus se probet?* quanquam equidem pluribus etiam mutatis mallem, *Propter avaritiam igitur nemo se probat?* Nunc vide mihi, qualia ista sint, quae in libris hac aetate a doctissimis viris editis ad unum omnibus expressa sunt.

Aut enim me ipsum incredibili modo coecutire profiteor, aut accidisse credo multis summis pariter atque infimis interpretibus, ut haec legentes et interpretantes dormitarent. Quale enim istuc est, quod usurpatur, *Egone ut hoc faciam?* Scilicet idem quod, *Nullo pacto faciam*, *Οὐ μὴ ποιήσω*. Quale Plautinum illud, *Egone ut te advorsum mentiar, mater mea?* Videlicet: *Nullo pacto committam, ut te advorsum mentiar.* Atque ejusdem prorsus modi omnia sunt veterum scriptorum loca, quotquot ab interpretibus ad hunc —, *ne ut* particularum usum illustrandum excitata sunt, ut extra omnem dubitationem positum sit, habere eas vim cum gravissima vel admiratione vel indignatione negandi, nusquam vero vim affirmandi. Nec differt ab hac ratione, quod a Wolfio ad h. l. comparatum est: *Utne tegam spurco Damae latus?* i. e. *nullo modo tegam: nam haud ita Trojae Me gessi, certans semper melioribus.* Denique *Egone ut hoc faciam?* idem fere valet atque *Mene hoc facere?*

Quae quum ita sint, qui feres istam sententiam, *Nemone ut avarus se probet!* Nimirum hoc est: *Kein Geiziger sollte mit sich zufrieden seyn?* quod qui dicit, hoc sentit: at equidem crediderim, quemvis omnino avarum se s. sortem suam probare: quo quod ineptius hoc loco dici potuerit, vix data opera quidquam excogitaveris: est enim tantum non contrarium ejus, quod hic dicendum erat. Atque hoc mendum ut tollas, nullum sufficiet artificium interpretandi. Fac enim, cum Heindorfio quempiam *avarus* nomen sejunctum a *nemo* trahere ad verbum *probet:* nihil profecto inde lucrabitur. Prouti enim aut *nemo* aut *avarus* nominis praecipuam vim esse volet: aut hanc sententiam effecerit, *Niemand sollte aus Habsucht mit sich zufrieden seyn?* i. e. at equidem crediderim, quemvis propter avaritiam se contentum esse, aut hanc, *aus Habsucht sollte niemand mit sich zufrieden seyn?* i. e. at equidem credi-

derim, non tam propter avaritiam, quam alius alicujus vitii causa neminem se contentum esse: quod utrumque quivis sanus intelligit prorsus abhorrere a consilio, quo hos versus a poeta praecedenti disputationi additos esse necesse est. Denique si nihil vitii praetereundum est, ut id ipsum, quod ferri nequit, hoc loco dicendum esse, neminem avarum se non probare: nos quidem contendimus, si id cum vi interrogandi poeta eloqui voluisset, alio modo quovis eum scripturum fuisse, atque particulis — *ne ut* positis: quibus quidem interrogationi adhibitis πάθος quoddam significatur, quod, si quid sentio, a simplici ita sententia, neminem avarum sive se contentum esse sive non esse, omnino alienum est.

Jam vero postquam vitium latere in verbis „*Nemone ut avarus se probet*“ certissima ratione arguisse nobis videmur, circumspicientibus idoneam medelam, quod per se importunum esse dicas, id nos quidem nobis etiam gratulamur. Speramus enim fore, ut multi nobis viri docti jam facile assentiant, etiam aliis praeterea hunc locum molestiis et, ut verum dicamus, vitiis laborare: quae quidem talia sunt, ut non solum vitiosam in nostris libris hujus loci scripturam esse confirment, sed etiam medicinam vitio quaerentibus viam monstrent. Namque ut largiamur, quod sane nullo modo credimus, posse istorum, de quibus quaerimus, verborum hanc sententiam esse, „*Wie nie doch ein Geizhals selbst sich gefällt*“: annon sentis, quam haec sit praesertim hoc loco nimis profecto languida oratio atque elumbis? Nimirum, digressus poeta longius postquam ridiculum non magis quam stultum hominum avarorum genus multis atque egregiis salibus perfricavit: ubi ad propositum revertitur, pulcherrima jam narrat ista, misere submissa opinor voce conquerens: *Wie nie doch ein Geizhals selbst sich gefällt!* At ista ubi audio, equidem, ut ingenue fatear, aniculam aliquam audire mihi videor, quae, ubi cum aequalibus confabulatur, nihil habeat,

quod dicat, nisi ut conqueratur, mores hominum ita perditos esse. Poetam, Q. Horatium Flaccum frustra quaero. Alterum vitium, quo non magis offensi sunt interpretes, latet in sequentibus. Legas mihi quaeso continuo ista:

„*Wie nie doch ein Geizhals*
Selbst sich gefällt, vielmehr nur anders Wandelnde preiset;
Stets auch, träget die Ziege des Nachbars volleres Euter,
Neid ihn verzehrt! wie nie mit der Aermeren grösserer Menge
Er sich vergleicht; jetzt den, jetzt den zu verdunkeln sich abmüht!
So fortstrebend erblickt er den Reicheren immer im Wege.“

Num placent? Mihi vero mirum quantum displicent. Nam si id, quod emendatum in oratione appellamus, non solum in verborum justa structura positum est, sed ejusdem etiam in sententiarum conjunctione magnam vim esse jure contenditur: perverse junctas habes istas sententias, quae in quadam sane similitudine tamen diversi omnino ac disparis sunt generis. Quantum enim dicamus intervallum esse inter universam illam sententiam, „*Nemone ut avarus se probet, ac potius laudet diversa sequentis,*“ quocunque modo eam interpreteris, et alteras illas, ad quas mire profecto saltu deferimus, speciales, „*Quodque aliena capella gerat distentius uber Tabescat etc.*“. Ista vero uno ita tenore nego quemquam conjungere potuisse, nisi hominem ineptum et recta perversis incredibili modo miscentem. Atque hoc quidem vitium egregie sensisse videtur Wielandius, elegantissimi vir judicii, qui suo quodam modo damnum, quod sententiarum nexus contraxit, reparare conatus est. Sed accedit, quod, quum verba „*Nemone ut avarus se probet, ac potius laudet diversa sequen-*

tis" manifesto repetitam contineant sententiam supra propositam, „*Qui fit, Maecenas, ut nemo sorte sua Contentus vivat, laudet diversa sequentis,*" modo quod hoc loco jam causa, quam in media disputatione explicatam legimus, apte addita est, avaritia: jam merito requiras, ut ista sententia de primis versibus praesertim ad verba fere repetita etiam ceterum eadem simplicitate hic proponatur, nullo scilicet alieno addito panno vel inepta appendice.

Haec igitur in loco tantopere neglecto etiam magis vel obstinatioribus opinor criticis persuadebunt, non inanem esse nostram suspicionem, latere hic vitium, quo egregii versus turpissime corrupti sint. Idque vitium jam intellectum est duplex esse: nam tum illa, „*Nemone ut avarus se probet, ac potius laudet diversa sequentis,*" si recte interpretaris, contrariam fere continent ei, quae requiritur, sententiam, tum quae sequuntur, quamvis sint ipsa quidem integra, at perversa ratione cum prioribus sunt copulata.

Exinde jam videndum est, quo modo veram scripturam restituamus. Ac jam dudum quaeris, libri mss. nihilne afferant auxilii. At illi quidem parum variant. Unum tamen haud parvi nobis momenti esse videtur, quod plurimi eorum ac praeterea editio princeps duaeque aliae veteres teste C. Fea omissa *ne* particula scriptum habent, *Nemo ut avarus*. Hinc non magnam fidem habeo ei voculae, quam etiam in ceteros libros, qui eam tuentur, errore illatam puto, male opinor intellecta sive sigla quadam sive voce minus distincte dictantis verba librario. Ne plura corrigendum arbitramur *nam* *).

*) Digna certe est, quae memoretur, opinio Ludovici Chr. de Heydebreck, jurisconsulti doctissimi, qui in literis latinis feliciter aemulatur laudem paternam. Is in familiari sermone monitus a me de vitio hujus loci suspicabatur, nulla particula adhibita ante *ut avarus*, post *verbum* comma ponendum esse ita, ut

Qua mea mutatione verborum facta lenissima omnem jam orationem in hunc modum distinguimus:

„*Illuc, unde abii, redeo. Nemo nam ut avarus*
Se probet, ac potius laudet diversa sequentis:
Quodque aliena capella gerat distentius uber,
Tabescat, neque se majori pauperiorum
Turbae comparet? Hunc atque hunc superare laboret,
Sic festinanti semper locupletior obstat."

ad quam rationem Wolfii versus sic vere immutatos velim:

Dort, wo ich ausging, wieder zurück. Denn wenn nun der Geizhals
Nie sich gefällt, vielmehr nur andere Wandelnde preiset:
Soll denn, träget die Ziege des Nachbars volleres Euter,
Er schwindsüchtig sich ärgern, und nie mit der Ärmeren gröfserer
Zahl sich vergleichen? Wenn immer er dem und jenem zuvorjagt,
Also rastlos eilend hat immer er Reichre noch vor sich.

Nam particulam vides unice aptam esse, pariter atque nostram *nämlich*, quoniam id ipsum, ad quod modo dixit poeta se jam rediturum esse, hac sententia addita continetur, neminem avarum se probare, ac potius laudare diversa sequentis. Deinde *ut* conjunctio, quae est simili fere modo ponentis vel concedentis atque

---

haec „*nemo ut avarus se probet — sequentis*" penderent e praecedenti *illuc redeo*, *ich kehre auf das obige zurück*, *wie nie* u. s. w., insequentia autem ut per se constarent. At ita quum hiatum inter *nemo* et *ut* oriturum frustra excusaveris Virgiliano illo *femineo ululatu*, tum una sane difficultate haud infeliciter sublata aliae tamen superetunt.

graecum εἶεν, non minus apte adhibita est ei sententiae, qua, quod supra demonstratum est, jam ut effectum repetitur, ut inde fiat conclusio quaedam. Poterat enim ad hanc enuntiationem, „*Nemo nam ut avarus se probet*,“ additum esse, „quemadmodum superiore sermone effectum est.“ Ex quo intelligitur, omnem hanc orationem sic illustrari posse: Quodsi enim verum est, quod esse verum satis est declaratum, sive, Quodsi enim in confessis est, neminem avarum se probare etc. Tum vero diligenter velim animum advertas, quam vim habeant insequentia,

Quodque aliena capella gerat distentius uber,
Tabescat, neque se majori pauperiorum
Turbae comparet?

Inest enim in his gravissima stultitiae avarorum castigatio cum adhortatione, ut ista refugiatur: quasi dixisset, Nonne stultum est, tum tabescere quod etc., tum non se comparare etc. Id vero est: Nonne tanta cum avaritia conjuncta stultitia est, ut avaritiam non fugere tantum non insani sit? eaque insania duplex est: tum enim avarus se ipse perdit, qui invidendo nimis rebus amplioribus alterius, et vel capellam si vicinum sua pinguiorem alere videat, — vides, quam apte jam capellam potissimum memoret, — aegritudine tabescit et macrescit, ut suam sibi vitam reddat vix vitalem: tum idem, quum fuga hujus morbi una facillima pateat, eam misere mente occoecata cupiditate non capessit, quippe qui, si desineret beatiorum sorti invidere malletque se sapienter cum majore pauperiorum multitudine comparare, profecto contentus sorte sua beate viveret, gratias etiam, mihi crede, plerumque bonis dis agens, quod multis aliis se feliciorem esse voluerint. Veluti alias hortatur: *Quod satis est cui contigit, hic nihil amplius optet.* Quodsi, inquit, avarus spernens hoc praeceptum, ut se majori pauperiorum turbae comparet, nihilominus coeca cupiditate actus hunc atque hunc superare laboret:

quid tandem efficiet? Nimirum, ut id ipsum dicamus quod res est, efficiet, ut nihil efficiat: qui quidem hoc unum dum omni studio agit, ut omnes se ditiores supe-ret, in summa festinandi contentione tamen se semper ab aliis rursus se ditioribus superari cum infinito dolore suo intelliget. Sed longius jam lapsi sumus. Addimus, sponte jam intelligi, tum, quam apte v. 110. et 111. *que* et *neque* particulae adhibitae sint ad ejusdem stultitiae diversas rationes distinguendas, tum, quo jure verba „*Hunc atque hunc superare laboret*" nostra sententiarum dispositione sejuncta sint a praecedentibus: ita enim verba *sic festinanti* jam necessario referes, ut oportet, ad indefessum alios superandi laborem, non simul ad res ante memoratas.

His autem disputatis nobis aut nihil, quod de hoc loco dicamus, superesse videtur, aut hoc unum, ut ostendamus, aptissime a poeta iis, quas ei restituimus, sententiis omnem hunc sermonem conclusum esse. Quod quanquam non dubitamus quin plerique sponte intelligant: tamen, quoniam haec disputatio cum alia conjuncta est, ut nobis quidem videtur, haud inutili, paucis eam perficere conabimur. Nam, ut dicamus, quod sentimus, meditati, qua potissimum ratione omnem hunc sermonem procedere partesque ejus singulas compositas esse judicandum esset, vera quaedam indagasse nobis videmur, quae latuerint viros doctos, qui de eo commentati sunt. Qui quidem nimiam opinor poetae negligentiam et levitatem et tantum non temeritatem quandam imputarunt, qua omnino in hoc poemate artis leges contempserit. At isto nobis quidem crimine liberandus videtur, si quidem, qui plus operae impenderint in indicia quaedam recte intelligenda, quibus ratio et nexus sententiarum haud obscure indicatur, ii quadam sane concessa libertate satis defensum habebunt poetam, qui nil molitur inepte. Disponamus igitur, quantum possumus, totum hoc poema in partes suas.

Proponitur igitur primum v. 1 — 3. id, de quo quaerere hoc sermone poeta instituit, quae tandem causa sit, cur plerique sorte sua non contenti sint, optare vero sibi soleant sortem alterius.

II., v. 4 — 14. Hinc quae afferantur exempla nobis non tam eo consilio memorata videntur, ut planius fiat, quae et qualis istorum hominum mens sit, quae ratio Heindorfio placet, quam hoc, ut ostendatur, satis frequens esse et in quovis fere genere hominum deprehendi vitium istuc, quo affecti suam sortem aegre ferant. Audi mihi, inquit, militem, audi mercatorem, audi jurisconsultum, agricolam, ceterorum multitudinem infinitam.

III., v. 15 — 27. His versibus Heindorfio nihil aliud poeta agere videtur, nisi ut moneat, maximam eorundem istorum esse animi inconstantiam, qui quidem sortem suam, etiamsi possint, nullo pacto commutaverint cum ulla alia. Nos quidem plus longe arbitramur et voluisse his efficere poetam et effecisse. Et quid quaeso attinebat, hoc loco id ipsum, inconstantiam notare. Quid multa, audiamus ipsum loquentem. „*Ne te morer, audi, quo rem deducam.*" Haec vero profecto ejus est oratio, qui, justo diutius jam sibi visus in rebus minus ad propositum pertinentibus commoratus esse, acriter jam *tendit* eo, quo vult. Noster autem quid velit, non obscurum est: causam est explicaturus, cur plerique sortem suam improbent. Atque ad eam declarandam magna opinor vis inest in his ipsis versibus. „Si quis, inquit, deus ad istos homines accederet, daretque optionem commutandi suam sortem, quam aegre ferunt, cum illa ipsa, quam sibi optant, ut jam liceret esse beatis: quid creditis eos facturos? Ita me di ament, *nolent.* Qui quidem digni sint, insigni quos modo praesens Iupiter puniat nimia profecto stultitia nescientes, quid velint." Ita vero nihilne poeta attulisse videtur, quod pertineat ad causam ejus rei, de qua quaeritur, explicandam?

Planissime vero, ut equidem sentio. Declaravit enim, cujusmodi ista causa non sit, ita, ut simul intelligatur, cujus potius alius modi putanda sit esse: eoque multum profecit ad summam quaestionem. Cogitari enim potest duplex ipsarum istarum causarum genus, unum justarum, alterum injustarum. Ac justa quidem causa moti sortem suam improbare ii dicendi essent, qui propter ipsius sortis suae, qualis est, veram iniquitatem, molestiam ac miseriam non contenti essent sorte sua: injusta, quia falsa ac perversa causa, sortem improbent suam, qui, quum ipsa eorum sors minime iniqua sit, immo multis modis commoda, grata et jucunda, imprimis ipsis, qui ea utuntur, unice apta, tamen hac sorte sua non contenti sunt, miro scilicet errore, incredibili stultitia, denique, quod maximum est, prava cupiditate capti. Et ut illo ipso utar, poëta minor, audi: si quem de sorte sua querentem audias, alterius sortem felicem praedicantem, justane an injusta sit causa querendi, facillime ita cognoveris, si — sumimus enim id in potestate tua positum esse — optionem ei des, missa sorte sua ea utendi, quam unice laudaverat. Qui si hac ei potestate facta jam nolet sortem suam relinquere, quid aliud quam ostenderit certissimo argumento, querelarum suarum causam non in ipsius sortis suae ratione positam esse, sed proficisci istam procul dubio ex falsis quibusdam opinionibus vel pravis cupiditatibus. His expositis satis habemus pronuntiare, esse a poeta hos versus egregios hac mente loco suo positos: „Satis istas querelas frequentes esse, quotidie, inquit, videre licet. At causae earum noli putare quidquam commune esse cum vera et recta ratione: neque enim, quam speciem prae se ferunt, revera sortem suam quasi duram et iniquam contemnunt aut oderunt, immo unice eam ut omnium sibi gratissimam amplectuntur ita, ut, etiamsi possent, eam nullo pacto cum alia commutarent.“ Quam sententiam longe verissimam postquam videns, ut ipse ait, sin-

gulari facetia declaravit, revocat se prudenter amoto ludo ad seria quaerenda. Vides igitur iterum, quam diligenter sursum sermonem dirigere velit, ut via et ratione disputatio procedat.

III., v. 28 — 40. Jam vero qualia sint insecutura, facile colligas e praecedentibus: puto, ut, postquam justam causam sortem suam improbandi plerosque non habere ostensum est, jam declaretur, qua alia ducantur perversa. Hinc: Animum mihi adverte, inquit, ad istuc genus hominum — „*Ille gravem duro terram qui vertit aratro* etc. —, qui, quod sane sua sponte faciunt, labores durissimos quosque suscipiunt tantasque audacter molestias sustinent periculaque subeunt, ut non mirum sit, eos nonnunquam de dura conditione sua conqueri. Quae tandem causa est, cur ita sudent ac laborent? Ipsos quidem si audis, prudenter prospiciunt inopiae instantis senectutis, quemadmodum prudenter laboriosa per aestatem formica providet futurae hiemi. At faciuntne revera, quod prae se ferunt? Immo formica quidem per hiemem requiescente isti nunquam se dantes quieti semper laborant, festinant lucri faciendi causa, ut nihil molestiarum, nihil periculorum refugiant dummodo ne alterum se videant ditiorem. Atque hic, inquit, deprehensam jam tenemus causam maximam, quae fere sola facit, ut plerique sua sorte non contenti sint: est enim avaritia. — Praeclare autem eodem hoc loco duas alias res tetigisse mihi videtur: unam, quod ipsius avaritiae rursus causam indicavit, alteram, quod non praeteriit, quomodo avaritia eam pariat animi aegritudinem, ut avarus non possit se contentus esse. Avaritiae enim una causa est maxima invidia: neque enim avarus plus habere cupit, quoniam sibi ipsi non satis habere videtur, sed quoniam aegre fert, minus se habere quam alios se ditiores, sive „*quod se sit ditior alter.*" Eadem vero invidia, quum gignat avaritiam, necessario etiam aegritudine avarum afficit et dolore: semper enim

dolet avarus, utpote invidiâ motus, alios se plus vel meliora habere, ut jam illorum *sortem laudet*, *suam improbet*. Alius paullo generis alia est, quam tangit, aegritudinis avarorum causa: avarus enim labores quosvis perferens, quid mirum, si laborum istorum sentiens molestiam etiam conquetatur parum se contentus: quos labores sane, quamvis sortis suae iniquitati eos imputare soleat, sponte sua ipse suscepit. Denique hoc monemus, hoc loco sic excusso egregie compositam visum iri extremam partem sermonis.

IV. v. 41 — 107. Hinc jam digreditur ad castigandam avarorum summam stultitiam, eamque non minus perniciosam quam ridiculam: in qua disputatione jam vagatur liberius. Est autem omnis hic locus aptissime insertus, quoniam eo simul demonstratur, quam indigna sit causa cur plerique sua sorte non contenti sint, quae quidem causa ipsa est avaritia. Antequam vero hujus quoque sermonis partis praecipuas sententias paucis describamus, unum non licet praeterire, de quo minus recte statuisse existimamus interpretes. Accurate nos quidem duo vitia distinguere solemus, quae appellamus *Habsucht* et *Geiz*: quorum prius latine avaritiae nomine significatur, alterum non habet latinus sermo quo uno vocabulo singulari appellet. Jam vero interpretibus Horatius parum videtur sibi constitisse, qui quidem quum v. 38 — 40. „*cum te neque fervidus aestas Demoveat lucro, nec hiems, ignis, mare, ferrum, Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter,*“ tum v. 108. „*Nemone ut avarus se probet*“ manifesto ipsam avaritiam, quae plerumque vocatur, i. e. infinitam lucri faciendi cupiditatem, causam ponat, cur plerique sortem suam improbent: tum vero maxima longe sermonis parte non tam in hos ipsos avaros invehatur, quam in istuc genus hominum, qui acquisitis magnis divitiis jam stulte non fruantur, immo intactas sollicite

ac misere custodiant. Qui rursus parum perspexisse mihi videntur, qua haec mente a poeta ita sint composita. Ac primum quidem monendi sunt, quae nos verbis apte sane distinguimus, ea reapse conjuncta esse, dicimus vitia, quae nos vocamus *Habsucht* et *Geiz* *). Nam quo quisque majori deditus est avaritiae, eo minus propensus esse solet ad ea, quae multo labore collegit, liberaliter fruenda, nedum ad ea prodige profundenda; immo infinito iste sudore partum thesaurum observat et colit tanquam rem sacram, quam tangere aut adeo minuere nefas sit: ac vix quemquam inveneris avarum eundem atque helluonem, ganeonem, nebulonem. Prodigi esse solent, qui divitias maximas licet possideant, sed eas non suo ipsi labore acquisiverint, auxerint atque augere pergant. Intelligis, quorsum haec disputata velimus. Etenim praeclare a poeta comparata sunt ipsa avaritia, quae proprie dicitur ab avendo, et ratio ista cum hac avaritia veluti natura conjuncta, qua opibus sollicite collectis avari vix uti solent. Atque quum avaritia ipsa turpissima sit, haec, quam modo cum ea conjunctam esse diximus rationem, stultissima est. Nam non acquiescere in eo, quod satis est, sed ultra infinito studio laborare, alios ut superes, id vero turpe esse merito dixeris: sed plus quam satis est quum multo labore paraveris, eo jam non uti ac frui tanquam justo opinor laboris praemio, id summae concedes stultitiae esse. Quod si in utroque genere revera nec turpitudo sine stultitia nec stultitia est sine turpitudine, certe in altero plus stultitiae deprehenderis. Quae quum ita sint, poeta ut, id quod volebat, avarorum incredibilem perstringeret stultitiam

*) Addimus, etiam latino avari nomine nonnunquam utrumque vitium comprehendi, quod factum vides manifesto v. 105., quo avarus adversus ponitur *vappae* et *nebuloni*.

atque insaniam pariter ridiculam ac perniciosam: quam aliam potuit viam ingredi magis idoneam hac, ut ostenderet, stultissime avaros istos frustra labores extremos suscipere, quippe qui ne fruantur quidem iis, quae collegerint, immo incommoda incommodis, damna damnis addant? — Sunt igitur haec a poeta ita composita, ut, postquam declaravit, cur plerique sorte sua non contenti sint, unam causam maximam esse avaritiam, jam in hunc fere modum pergat: At quantae dicam stultitiae esse, avaritia impediri, quominus contentus sorte tua vivas, quo uno vita fit vitalis. Nam quorsum tandem avari sunt avari? quem in usum immani prope aviditate laborum et periculorum omnium contemnentes rei augendae unice intenti sunt? „*Quid juvat immensum te argenti pondus et auri etc.*“ Nimirum corradunt opes nullum in usum, ut continuo eas defodiant sub terra intactas futuras. At nisi divitiis frueris, quid tandem prosunt? (v. 41 — 44.) — Atque omnino modice quidem viventi — haec autem vivendi ratio una salutaris est — quam tandem afferunt utilitatem divitiae infinitae ac nimiae, quum tantum modo utile sit, quanto uti possis? (v. 45 — 49.) — Nam ista quidem omnino ratione caret opinio, quam quidam inepte jactant, dulcius esse ea, quibus opus est, de abundante copia sumere quam de sufficiente: praesertim quum nimiae cujusvis copiae usus plerumque etiam magnis damnis et periculis implicatus sit. (v. 50 — 60.) — At, inquiunt alii, praeclaram illam decantantes cantilenam, opum satis habere non potes, „*quia tanti, quantum habeas, sis:*“ ut jam nihil attineat quaerere, satisne jam habeat necne, sed sapienter illud unum cogitare, quo plus habeas, tanto pluris te ab aliis aestimatum iri, denique tanto pluris te tibi ipsum futurum esse. Quorum tanta est insania, ut, quum sanari nequeant, sinere debeas miseros esse, quoniam hoc ipsi volunt. Unum tamen fortasse pro-

fierit, quasi speculum iis praetendere, in quo oculis cernant, quam sint praeclare sapientes. Intueantur igitur hoc praeclarum sui exemplar civis cujusdam Atheniensis. (v. 61—67.) — Tum alia commode in mentem venit de Tantalo fabula. Quem tu, avare, quum rideas, ubi audis in media aqua stantem misere sitire: quid tandem tu ab illo differs? Quin quanto etiam magis illo tu tibi debes risui esse, qui nulla scilicet necessitate coactus in media magna abundantia rerum siti, fame omnique genere inopiae insanus te ipse crucies? (v. 68—72.) — At enim *nescis, quo valeat nummus, quem praebeat usum?* Panis ematur etc. (v. 73—75.) — Tu vero negans tibi, quibus dolet sibi negatis natura humana, quid jam est boni, quid laeti ac jucundi, quod potius sequaris? Nimirum illud unum est, quo mirifice delectaris, perpetuo quod exanimaris metu, ne sacer tibi thesaurus tuus imprudenti e medio sublatus sit. (v. 76—79.) — Ac tandem, quovis modo quum misere perditum avarum videas, quid, si qua premitur calamitate, si gravi morbo lecto affixus jacet? O miserrimum hominem, cui misere pereundum erit carenti amicorum, carenti vicinorum, carenti ipsius uxoris, filiorum omniumque propinquorum caritate, quam quidem suis istis artibus non didicit sibi parare, non natura partam retinere. (v. 80—91.) — Denique qui nunquam avarus didicerit finem facere quaerendi, videat, ne idem sibi accidat, quod quondam Ummidio cuidam, cui hanc boni dii praeclaram mercedem sacrae avaritiae esse voluerunt: *liberta securi Divisit medium, fortissima Tyndaridarum.* (v. 92—100.) — At si jam poenitet te, avare, perniciosae insaniae tuae, prudenter cavebis, ne e Scylla incidas in Charybdin, ex avaro vappa futurus ac nebulo. Est media quaedam via suis utrinque circumscripta finibus: hanc tu fac, ut eas (v. 101—107.).

V. v. 108 — 121. Sed tempus jam sit eo redire, unde digressi sumus. Nam si ita est, ut supra declaravimus, avaritiam infelicis istius aegritudinis causam esse, qua sorte sua plerique non contenti sint, praeoptent sortem alterius: quis non avarus turpe hoc avaritiae vitium omni modo refugiat? An vero malet propter alterius ampliores paullo suis opes misere cruciato et animo et corpore tabescere, quam pauperiores secum prudenter comparans in sua sorte ut satis sibi felici tranquillo ac contento animo acquiescere? Nam quamvis contigerit ei, ut unius alteriusve opes multum laborando superet: omnes quidem ut superet se ditiores, nullo labore efficiet, ideoque, dum avarus erit, nunquam eo perveniet, ut aegritudine ista sublata se et sorte sua contentus sit, denique ut beate vivat. Atque haec causa est, „*ut raro, qui se vixisse beatum Dicat et exacto contentus tempore vita Cedat uti conviva satur, reperire queamus.*“

His expositis uno verbo moneo, v. 108. „Illuc, unde abii, redeo“, respici potissimum ad v. 38. — 40. Quanquam enim verba *nemo se probet ac potius laudet diversa sequentis* manifesto repetita sint e versu 3., tamen hic hujus sententiae potissima vis inest in *avarus* vocabulo. Ex quo intelligitur, esse illa hac fere mente posita: „Si ad ea, quae supra v. 1 — 3. quaesita sunt, recte responsum est v. 28 — 40., avaritia plerosque moveri, ut sortem suam improbent: jam etc.“ Sed hoc quum certum sit, alterum, quod morituri eramus, noli negligere, quam hic, ubi reditus ad superiora ista, apte repetita sit vis verborum „*dum ne sit te ditior alter*“ versibus „*Quodque aliena capella gerat distentius uber, Tabescat, neque se majori pauperiorum Turbae comparet?*“ Nam illud, inquit, unice avaro sapienter praecipitur, ut ditiore se altero omisso plurimum se pauperiores respiciat.

Sed hac disputatione absoluta, quae talis erat, ut, nisi leviter indicare rem placeret, longiorem demonstrationem requirere videretur: tanto breviores erimus de alio loco apud eundem poetam: de quo quidem non tam sententiam dicturi, quam opinionem nostram quandam in medium prolaturi sumus.

Epist. II, 2, b. 70. „*Intervalla vides humane commoda.*"

Nihil omnium, quae ad verbum *humane* vel interpretandum vel emendandum ab interpretibus comparata sunt, nobis satisfacit. Quorum ut tangamus novissima: quod praestantissimus carminum Horatii interpres Mitscherlichius *humane* vocem ita nuper defendere conatus est, ut eam „*humanitatis amicis aegrotis praestandae ratione habita*" positam censeret: ista quidem vis nec nisi singulari profecto quadam maxima adhibita in *humane* vocabulo, quo incommoda declarantur qualia sint, inesse posse, nec, si inesse possit, apta ad hanc sententiam esse nobis videtur. Alius vir doctissimus, Doeringius, rejecta nuper, quam ante proposuerat, opinione scribendum esse conjecit: „*Intervalla vides meditanti commoda?*" Sed haec quum nimis violenta fuerit mutatio, tum, etsi sententiam aptam effeceris, orationi certe nonnihil elegantiae detractum erit: malles enim jam sequenti versu aliud verbum positum pro *meditantibus*. Nobis quondam placuit, quod nunc repudiamus, *immane incommoda.* Sed vide ne scriptum fuerit a poeta: „*Intervalla vides tu sane commoda.*" Memorat in impedimentis, quibus in urbe a versibus scribendis retineatur, cum alias curas multas, tum quod etiam amici aegroti plerumque sibi visendi sint, quorum nonnunquam hic in colle Quirini, hic extremo Aventino habitet. Deinceps facete: „*Intervalla, inquit, vides tu sane commoda,*" i. e. At tu hoc ipsum, quod ego in incommodis pono, sane

mihi commodum esse videre tibi videris: ipsa enim intervalla ambulanti otium dare gratissimum. Ad quae respondetur aptissime: „*Verum purae sunt plateae, nihil ut meditantibus obstet?*" Praeclarum vero est, inquit, etiam istuc commodum, quod narras, ubi „Festinat calidus mulis" etc.

Plura ad Horatium, quem latinorum scriptorum omnium maxime diligimus, si haec placuerint, dabimus subinde alio tempore. Nunc praeterea depromere quaedam placet ex Adversariis, quae conscripta habemus in Platonis libros: quae quum antea constituissemus hoc ipso anno typis exprimenda curare, nunc mutato consilio reservare decrevimus in aliud tempus, addituri ea commentariis, quibus illustratum edemus Philebum sermonem, minime illum, id quod etiam a F. Schleiermachero judicatum est, post Stallbaumii operam novis curis indignum. In adversariis autem nostris hanc potissimum rationem secuti sumus, ut, quae in oratione, qualem Imm. Bekkeri studio plane singulari restitutam habemus, menda superessent, ea indagarem et, si possem, corrigerem: praeterea, si quae in dicendi modo, quo Plato utitur vel sibi proprio vel cum popularibus communi, adhuc nondum satis explicata viderentur, ea, ut nostra opera melius illustrarentur. Ex hic igitur nunc quasi speciminis loco pauca excerpamus.

De Rep. l. IX. p. 445. *v.* 6. *ed. Bekk*, *p.* 581. *ed. Steph.*

Τὸν δὲ φιλόσοφον, ἦν δ' ἐγώ, ποιώμεθα τὰς ἄλλας ἡδονὰς νομίζειν πρὸς τὴν τοῦ εἰδέναι τἀληθὲς ὅπῃ ἔχει καὶ ἐν τῷ τοιούτῳ τινὶ ἀεὶ εἶναι μανθάνοντα, τῆς ἡδονῆς οὐ πάνυ πόῤῥω· καὶ καλεῖν τῷ ὄντι ἀναγκαίας, ὡς οὐδὲν τῶν ἄλλων δεόμενον εἰ μὴ ἀνάγκη ἦν.

Haec duobus mendis liberavit Bekkerus, qui, post πόῤῥω quod de conjectura opinor posuerat Stephanus τὰς δ᾽ ἄλλας pro καί, expulit, praeterea, quod idem ille tritum erat οὐδὲν post νομίζειν verbum, plerorumque mss. fidem secutus omisit. Nos hanc orationem ne sic quidem persanatam putamus. Sed quod mihi relictum videre videor vitium, ea medela correctum dabo, quam neque audacem, neque, opinor, appelles infelicem.

Monent de corruptela tria. Primum tantum non soloece posita arbitror duo verba ποιώμεθα et νομίζειν. Priorum istorum Τὸν δὲ φιλόσοφον ποιώμεθα τὰς ἄλλας ἡδονὰς νομίζειν πρὸς τὴν τοῦ εἰδέναι τἀληθὲς ὅπῃ ἔχει qui volunt tolerabilem esse sententiam, debent fere cum Ficino sic interpretari: „philosophum autem ponamus ceteras voluptates aestimare ex ea (i. e. ad ejus normam), quae percipitur e cognoscendo vero, quale sit." Sed in his bis fallit latini sermonis comparatio. Nam primum ubi tandem est ποιεῖσθαι sumere, ponere, facere? Frustra quaesieris exempla. Scilicet confundunt ποιεῖσθαι medium cum activo ποιεῖν, de quo vid. Valckenarius ad Herod. I, 184. ποιήσας ἂν ὀγδώκοντα ἄνδρας εἶναι, cui loco tria ille alia addit, in quibus est Xenophonteus Anab. V, 7, 9. Ποιῶ δ᾽ ὑμᾶς ἥκειν εἰς Φᾶσιν. Quanquam ego h. l. ne ποιῶμεν quidem probarem ut inusitatum nostro hoc quidem significatu, cui, quantum observavi, ποιεῖν cum Infinitivo nihil aliud est quam efficere, ut Gorg. ed. Bekk. *) p. 57. v. 15. Πειράσομαι δέ γε καὶ σὲ ποιῆσαι, ὦ ἑταῖρε, ταὐτὰ ἐμοὶ λέγειν. Theaet. p. 280, v. 6. Οὐκοῦν ἀπέστημεν αὐτοῦ, ὅτι ἃ ἴσμεν

---

*) Hujus editionem sequimur, ubi non diserte alium editorem nominamus.

ἐποίει ἡμᾶς εἰδότας μὴ εἰδέναι, et saepe alias. Noster scripsisset *τιθώμεθα* vel potius *τιθῶμεν* *). *Ποιώμεθα* autem viderint alii quomodo defendant. Sed non levius notandum est *νομίζειν* verbum. Nam quid est *νομίζειν τι πρός τι*? Ego novum puto. Comparas haud dubie notissimum genus *κρίνειν τι πρός τι*, uti scriptum est Phileb. p. 248, 14. *καθ᾽ ἓν ἕκαστον τοίνυν τῶν τριῶν πρὸς τὴν ἡδονὴν καὶ τὸν νοῦν κρίνωμεν*, ubi v. Stallb. Num serio? Equidem laudabo *κακόν* vel *καλόν* vel *οὐδέν τι νομίζειν πρός τι*; quorum eadem est ratio atque quum dicitur *τοῦτ᾽ οὐδέν ἐστι πρὸς ἐκεῖνο*, *οὕτως ἔχει πρὸς ἐκεῖνο*. Nimirum quae additur in istis comparandi particula *πρός*, minime illa pertinet ad propriam vim verbi *νομίζειν*, sed ad conjunctam demum notionem *οὐδὲν νομίζειν*, *κακὸν νομίζειν*. Parum aptum est, quod

*) Nam videor mihi observasse, medii hujus verbi formam non solere a nostro cum Infinitivo jungi, plerumque cum duobus Accusativis, ut Theaet. p. 208, 19. *Τίς δὴ οὖν, ὦ παῖ, λείπεται λόγος τῷ τὴν αἴσθησιν ἐπιστήμην τιθεμένῳ*. Lach. p. 289, 20. *ἀλλ᾽ ἀνάγκη ὁμοίως λέοντα — πρὸς ἀνδρίαν φάναι πεφυκέναι τὸν τιθέμενον ἀνδρίαν τοῦθ᾽, ὅπερ σὺ τίθεσαι*. Phileb. p. 227. 3. *ἐάν τις τὴν ἡδονὴν ὡς ἀγαθὸν ἡμῖν τιθῆται*. Contra activa forma *τιθέναι* et eodem modo construitur, potissimum addito ad nomen participio, Theaet. p. 319, 12. *θὲς γάρ με διανοούμενον, ὡς ἔστιν οὐτοσὶ Θεαίτητος*. Clitoph. p. 73, 15. *θὲς τὸν Κλειτοφῶντα ὁμολογοῦντα*. Theaet. p. 224, 22. *Οὐκ, εἰ τὸ ὁρᾶν γε ἐπίστασθαι θήσεις*; et cum simplici Accusativo, ut Hipp. Min. p. 207, 11. *θῶμεν ἄρα καὶ τοῦτο, περὶ λογισμὸν καὶ ἀριθμὸν εἶναί τινα ἄνθρωπον ψευδῆ*. Sed idem etiam cum Accus. c. Infin., ut h. l. volunt *ποιούμεθα* positum. Sophist. p. 285, 4. *ἀλλὰ θήσω τὰ μὲν φύσει λεγόμενα ποιεῖσθαι θείᾳ τέχνῃ* etc. Gorg. 135, 12. *ἐγὼ μὲν οὖν αὖ τίθημι ταῦτα οὕτως ἔχειν*. De Rep. I. p. 10, 21. *πρὸς δὴ τοῦτ᾽ ἔγωγε τίθημι τὴν τῶν χρημάτων κτῆσιν πλείστου ἀξίαν εἶναι*. Qua potissimum ratione hoc discrimine Medium et Activum *ποιεῖσθαι* et *ποιεῖν* construi soleant, fateor me non perspicere.

conferatur, latinum aestimare aliquid ex aliqua re: compara nostrum *etwas als nichts achten gegen etwas*, cui si substituis *etwas achten gegen etwas*, habes, quid sonet graecis νομίζειν τι πρός τι: nempe male omissum est, quale quid existimetur esse comparatum cum altero. Neque enim ipsum νομίζειν verbum significat, ut latinum aestimare, quod nos dicimus *abschätzen, veranschlagen*. Hinc intelligitur, quod Bekkeri libri tres habent, receptum idem a Stephano ac probatum nuper etiam Stallbaumio, οὐδὲν νομίζειν πρὸς, certe graece dictum esse: quanquam ista quidem est correctio, jure contemta a Bekkero. Tria esse dixi, cur scripturam hujus loci suspectam haberem. Tertium est, quod omnis haec oratio inepta est. Quod ut penitus sentiatur, respiciendum est ad superiora. Constituta sunt antea tria genera hominum, quorum quidem pars veri studio, pars laudis et honoris cupiditate, pars lucri ratione maxime ducatur. Horum jam suo quosque studio ita addictos esse docetur, ut prae ea, quam ex illo percipiant voluptatem, ceteras omnino contemnant. Itaque, ὁ χρηματιστικός, inquit, πρὸς τὸ κερδαίνειν τὴν τοῦ τιμᾶσθαι ἡδονὴν ἢ τὴν τοῦ μανθάνειν οὐδενὸς ἀξίαν φήσει εἶναι, εἰ μὴ εἴ τις αὐτῶν ἀργύριον ποιεῖ. Τί δὲ ὁ φιλότιμος; οὐ τὴν μὲν ἀπὸ τῶν χρημάτων ἡδονὴν φορτικήν τινα ἡγεῖται, καὶ αὖ τὴν ἀπὸ τοῦ μανθάνειν, ὅτι μὴ μάθημα τιμὴν φέρει, καπνὸν καὶ φλυαρίαν; Deinceps, Τὸν δὲ φιλόσοφον ποιώμεθα τὰς ἄλλας ἡδονὰς νομίζειν πρὸς τὴν τοῦ εἰδέναι τἀληθὲς ὅπῃ ἔχει. Horum etiamsi posset per usum loquendi haec sententia esse: philosophum autem sumamus ceteras voluptates aestimare ex ea, quam parit cognitio veri: quis tamen haec toleranda putaret. Nimirum quid est in hoc genere sumendum vel ponendum, ubi omnino affirmandum est, nihili philosophum seli-

quas voluptates aestimaturum esse: pariter atque supra, ut res postulat, certo pronuntiatum erat: *οἶσθ' οὖν, ὅτι — τὸν ἑαυτοῦ ἕκαστος* (sc. *βίον*) *μάλιστα ἐγκωμιάσεται*, et deinceps de *τῷ φιλοκερδεῖ, τὴν τοῦ τιμᾶσθαι ἡδονὴν οὐδενὸς ἀξίαν φήσει εἶναι*, et de *τῷ φιλοτίμῳ, οὐ τὴν μὲν ἀπὸ τῶν χρημάτων ἡδονὴν φορτικήν τινα ἡγεῖται; Οὕτως, ἔφη, ἔχει.*

Has nos ambages mittere noluimus eorum causa, qui alias satis creduli in talibus nonnunquam locis severi scilicet critici speciem prae se ferentes vitiosa tueri laborant. Sed his expositis etiam istis persuasum iri spero, scribendum esse lenissima mutatione, quae pene nulla est:

Τὸν δὲ φιλόσοφον, ἦν δ' ἐγώ, τί οἰώμεθα τὰς ἄλλας ἡδονὰς νομίζειν πρὸς τὴν τοῦ εἰδέναι τἀληθὲς ὅπῃ ἔχει.

Nam *τί οἰώμεθα νομίζειν*, id vero est *οὐδὲν αὐτὰς οἰησόμεθα νομίζειν πρός* etc.

Sed nisi segniter rem geras, non licet intacta relinquere postrema, in quibus nonnullam deprehendere tibi videaris ambiguitatem aut certe obscuritatem. Nam quaeritur, qua jam ratione adjuncta sint ista *καὶ καλεῖν τῷ ὄντι ἀναγκαίας* etc. Bekkeri quidem ratio, qui colo post *πόῤῥω* posito gravius haec a praecedenti oratione distinguit, non placet, praesertim correcto jam *τί οἰώμεθα*. Longe minus cogito de reponendo Stephani commento *τὰς δὲ ἄλλας*, quod Astius necessario adhibendum esse credit. Equidem probarem, si scriptum esset *πόῤῥω: ἃς δὴ καὶ καλεῖν τῷ ὄντι ἀναγκαίας*. Nunc, quum corruptelae nullum videam certum indicium, obscuritatem, quae esse videtur, recte interpretando tollendam arbitror. Sunt mihi reliquae, quibus verba construi possunt, rationes in numerato: sperno omnes

prae hac, quam proponam. Puto enim, postrema haec *καὶ καλεῖν* — *ἀναγκαίας* pendere e proximis *τῆς ἡδονῆς οὐ πάνυ πόῤῥω*, ita, ut *καί* sit *etiam*, *adeo*, *καλεῖν* Infinitivus simpliciter positus sit pro pleniore *ὥστε καὶ καλεῖν*. Quod ut intelligatur quo modo fieri possit, amplius dicendum est de verbis *τῆς ἡδονῆς οὐ πάνυ πόῤῥω*. Haec respiciunt ad praemissos Infinitivos, laxiore sane vinculo adjuncta, ut post *μανθάνοντα* omnino comma ponendum existimem cum Bekkero: nam excidisse Participium *ὄντα*, nihil attinet suspicari. Jam vero haec ipsa *τῆς ἡδονῆς οὐ πάνυ πόῤῥω* non aliam vim habent, nisi *μεθ' ἡδονῆς τοσαύτης*, sive, quod accuratius est, *ἐν ᾧ διατρίβων τῆς ἡδονῆς πάνυ ἐγγύς ἐστι*: quae jam recte sequitur Infinitivus, ut si nos dicamus, *dem Vergnügen nahe genug, um sie sogar in der That nothwendige zu nennen.* Interpretor omnem hanc orationem ita: *Philosophum autem quid putemus ceteras voluptates aestimare prae illa, quum novit verum, quale sit, et in eo genere semper versatur cognoscendo: quo in studio a voluptate tam prope abest (i. e. ipsa voluptate tam plene perfruitur), ut illas etiam revera necessarias appellet, quippe qui nihil (jam) ceteris egeat, nisi cogat necessitas.* Inter *πόῤῥω* et *καλεῖν* jam levius distinguendum esse commate, sponte intelligitur. Sed praeterea tria monenda video. Primum in illis *τῆς ἡδονῆς οὐ πάνυ πόῤῥω*, *ἡ ἡδονή* universe ac generatim posita est, minime illa relata ad certum aliquod genus: dicitur enim philosophus in voluptate ea, quam veri cognitio paret, voluptatem omnino summam invenire. Deinde ad verba *καὶ καλεῖν* quod mente addendum est *αὐτάς*, refer ad proprias, quae modo memoratae sunt, philosophi voluptates, *τὴν τοῦ εἰδέναι τἀληθὲς ὅπῃ ἔχει καὶ ἐν τῷ τοιούτῳ τινὶ ἀεὶ εἶναι μανθάνοντα*: est enim quod dicitur

hoc, philosopho suas, quae e vero cognoscendo percipiantur, voluptates etiam vere et proprie necessarias appellandas videri, quippe qui, dum his oblectetur, ceteris nihil egeat. Denique quod additur *εἰ μὴ ἀνάγκη*, cavendum est, ne quod positum est *ἀνάγκης* nomen ullo modo eo referendum credas, quod voluptates philosophi modo appellatae sunt *ἀναγκαῖαι*: in quem errorem incidit Ficinus, qui omnem hunc locum multis modis pervertit. *Εἰ μὴ ἀνάγκη ἦν* est pervulgatum illud, *nisi cogat necessitas*. Cf. De Rep. III. p. 151, 17. *ὥστε μηδὲν ἰατρικῆς δεῖσθαι ὅτι μὴ ἀνάγκη*. ibid. p. 163, 10. (*Ἐῆν δεῖ*) *πρῶτον μὲν οὐσίαν κεκτημένον μηδεμίαν μηδένα ἰδίαν, ἂν μὴ πᾶσα ἀνάγκη*. Etenim philosopho ita ait veri cognitionem voluptatem esse necessariam, quod illa ei sit quasi quotidiani victus instar, quo satiato ceteris voluptatibus nihil opus esse. Sed addit, ne nimium affirmet, *nisi forte cogat necessitas*: quo nonnunquam accidere posse significat, ut ceteris quoque voluptatibus utendum sit, etsi istis ad summum usum minime necessariis et plerumque nihil desideratis.

Sympos. ed. Bekk. p. 385. 1 q. ed. Steph. p. 180.

Πάντες γὰρ ἴσμεν, ὅτι οὐκ ἔστιν ἄνευ Ἔρωτος Ἀφροδίτη. μιᾶς μὲν οὔσης εἷς ἂν ἦν Ἔρως. ἐπεὶ δὲ δὴ δύο ἐστὸν, δύο ἀνάγκη καὶ Ἔρωτε εἶναι.

Etiam in his affirmare ausim latere corruptelam: quae quomodo tollenda sit, partim colligere licet e ratione sententiarum, partim e scripturae varietate, quae est in codd. In his ita variatur, ut plerique habeant, pars *Ἀφροδίτη. μιᾶς μὲν οὔσης*, pars, et in his Bodlejanus, *Ἀφροδίτη. μιᾶς μὲν οὖν οὔσης*: pauci *Ἀφροδίτη. ταύτης δὲ μιᾶς μὲν οὔσης*. Dixeris, callide elegisse Bekkerum, quod maxime probabile sit:

nempe genuinum esse, quod duriusculum videatur, μιᾶς μὲν οὔσης, alteram scripturam utramque deberi correctoribus, qui alio alius modo duritiem orationis copula aliqua addita (οὖν, ταύτης δέ) remotam voluerint. Equidem non assentio: nam ut feratur Asyndeton, quod γάρ particula post μέν omissa est, illud omnino non tolerandum arbitror, quod verba μιᾶς μὲν οὔσης pronomine ταύτης vel ἐκείνης carent, quod aut ipsum aut huic quod responderet necessario, opinor, additum oportebat, non quo elegantior esset oratio, sed ne esset falsa. Sed de his quid videatur priusquam amplius dicam, notandum est aliud vitium, latens in verbis praecedd., quod puto manifestum esse. Nam si in Platonis oratione liberrime illa quidem plerumque profluente hoc vel maxime admiramur, quod summa eandem subtilitate institutam videmus, ubi id agitur, ut rerum, de quibus quaeritur, rationes recte distinguantur: quis est, qui ferat ista, οὐκ ἔστιν ἄνευ Ἔρωτος Ἀφροδίτη. Vide quaeso, quo haec consilio memorentur. Etenim laudandi Amoris ut rectam viam ineat, primum Pausanias demonstraturus est, Amores duos discernendos esse: argumento qualicunque hoc utitur, quod Amor totus pendeat ex Venere: quae quum gemina sit, altera coelestis altera vulgaris, sequi, ut duos existimandum sit esse Amores, utpote alterum ex hac, alterum ex illa natum. Jam vero in illis, Πάντες γὰρ ἴσμεν, ὅτι οὐκ ἔστιν ἄνευ Ἔρωτος Ἀφροδίτη, hoc ipsum contineri debet: pendere Amorem totum ex Venere, quae si una esset etc. At id estne οὐκ ἔστιν ἄνευ Ἔρωτος Ἀφροδίτη? immo vero dictum oportebat, οὐκ ἔστιν Ἔρως ἄνευ Ἀφροδίτης: illo enim significatur, pendere Venerem ex Amore, id quod omnino ab hac quidem disputatione alienum est et tantum non ineptum. Ne multa, audacter reponendum puto, ὅτι οὐκ ἔστιν ἄνευ Ἔρως Ἀφροδίτης: quae scriptura uti unice apta

est ad sententiam *), ita facile apparet, quomodo potuerit corrumpi. Etenim proclivis erat error, ut post *ἄνευ* particulam *Ἔρως* mutaretur in Genitivum *Ἔρωτος*, quo facto *Ἀφροδίτης*, ut constaret structura verborum, mutandum erat in Nominativum *Ἀφροδίτη*. Sed haec si recte disputavimus, apertam jam habemus viam ad monstranda vestigia, unde reliqua hujus loci depravatio fluxerit. Nimirum suffragantibus partim codicibus sic haec scripta fuisse arbitror a Platone:

Πάντες γὰρ ἴσμεν, ὅτι οὐκ ἔστιν ἄνευ Ἔρως Ἀφροδίτης. Ἀφροδίτης δὲ μιᾶς μὲν οὔσης εἷς ἂν ἦν Ἔρως etc.

Quae medela audacior videtur esse, quam revera est. Nihil attinet repetere, quam saepe librariorum errore bis ponenda vocabula semel sint posita: nos quod inserendum putamus *Ἀφροδίτης* cum particula *δέ*,

---

*) Equidem etiam ordinem hunc verborum *ἄνευ Ἔρως Ἀφροδίτης* in hac oratione aptissimum et fere necessarium esse puto. Minime enim talia quidem Hyperbata tribuendae sunt negligentiae aut nescio cui elegantiae, sed faciunt opinor aliquid ad significandam certam quandam rationem, quae intercedat inter verborum notiones: ut mixta fere et confusa verborum collocatione plerumque aut mutua quaedam aut alia indicetur ratio, qua arctissime sint eae res conjunctae, quae confuso verborum ordine compositae sunt: quanquam nonnunquam eadem structura contrarium efficitur, ut diversarum et oppositarum sibi rerum gravius sentiatur discrimen et discrepantia. Praeterea cogit plerumque Hyperbaton propter interpellatum quodammodo structurae cursum verba transposita etiam pronuntiando magis urgere: quo fit ut vis verborum augeatur. Et hactenus satis opinor intelligitur, quam apte h. l. dictum sit *οὐκ ἔστιν ἄνευ Ἔρως Ἀφροδίτης*, quod longe praestat quam *Ἔρως ἄνευ Ἀφροδίτης* aut, quod etiam falsum esset, *ἄνευ Ἀφροδίτης Ἔρως*. Cf. Phaed. p. 32, 2. *αἱ γενέσεις εἰσὶν αὐτοῖς μεταξὺ δύο δυοῖν ὄντων*. Phileb. p. 238, 14. *χωρὶς ἑκάτερον ἑκατέρου θέντες εἰς τὸν βίον ἑκάστων*. Ibid. p. 224, 23. *πότερα πλοίων ναυπηγίας ἕνεκα φῂς γίγνεσθαι μᾶλλον ἢ πλοῖα ἕνεκα ναυπηγίας*.

plus quam conjectura nixum volumus. Nam etsi, quod octo codd. habent et in his Bodlejanus *μιᾶς μὲν οὖν οὔσης*, omnino manum redolet leniter istam quidem sed male corrigentem: quis affirmet, trium illam librorum scripturam *ταύτης δὲ μιᾶς μὲν οὔσης* merum esse grammatici alicujus additamentum. Maxime urgendam puto auctoritatem cod. Veneti Ξ, qui haud pauca habet bona, interdum, ubi ceteri plerique omnes vitiosi sunt, cum paucis vera servat, ut Phaedro p. 56. 20. cum paucis reliquorum lacunam, qua etiam Bodlejanus laborat, expletam praebet *εἰς ταὐτὸν ἄγει τὴν φιλίαν τῷ θεραπεύοντι.* Equidem enim ita arbitror: quum in antiquissimis aliquot libris bis posito *Ἀφροδίτης* alterum *Ἀφροδίτης* ut vitiosum notatum aut partim deletum esset, librarios alios illud omnino omisisse una cum particula *δέ*, quippe quae jam inepta esset, alios ex ultimis literis *ΔΙτης δέ* finxisse *ΤΑΤτης δέ*, alios omissis *Ἀφροδίτης δέ* ad nectendam orationem de suo adjecisse *οὖν* ante *οὔσης*. Nam quo minus ipsum illud *ταύτης δέ* pro vero habeatur, duae res impediunt, partim, quod minus credibile est illud ab aliis librariis omitti potuisse, partim quod durior haec esset oratio, si ex illis *ταύτης δὲ μιᾶς μὲν οὔσης* ad proxima *ἐπεὶ δὲ δὴ δύο ἐστὸν* repetendum esset pronomen sive *αὕτη* sive *ταῦτα*, praeterquam quod malles *ἐκείνης*: nunc id ipsum, quod requiritur, est *Ἀφροδίτης δέ*.

Phileb. p. 231, 13. *ed. Bekk. p.* 57. *ed. Steph.* *Δοκεῖ τοίνυν ἔμοιγε οὗτος ὁ λόγος οὐχ ἧττον ἢ ὅτε λέγειν αὐτὸν ἠρχόμεθα, ταῖς ἡδοναῖς ζητῶν ἀντίστροφον ἐνταῦθα προβεβηκέναι, σκοπῶν ἆρά ἐστί τις ἑτέρας ἄλλη καθαρωτέρα ἐπιστήμης ἐπιστήμη.*

Recepit praeter Stallbaumium etiam Bekkerus Schleiermacheri conjecturam *προβεβηκέναι*. Nobis defendenda

videtur vulgata scriptura, quam libri mss. omnes exhibent, *προβεβληκέναι*. Nam primum quod ipse λόγος dicitur *προβεβληκέναι*, idem est atque *τῷ λόγῳ προβέβληται* s. *πρόβλημά ἐστι τοῦ λόγου*. Deinde *ἐνταῦθα* voce is locus significatur, in quo nunc disputatio versetur, ut respondeant haec superioribus *οὐχ ἧττον ἢ ὅτε λέγειν αὐτὸν ἠρχόμεθα*: „*non minus quam ab initio — hoc loco disputationi nostrae propositum esse videtur, ut* etc.“ Denique quod *προβεβληκέναι* verbum non Accusativus aliquis sequitur, non mirum: nam pro simplici *προβέβληκεν ὁ λόγος, ἄρα ἐστί τις* etc. more nostri auctam habes orationem interjecto *σκοπῶν* participio. Gemina hujus loci structurae est Hipp. Maj. p. 436, 3. *ἐνίοτε δ᾽ ὥσπερ ἐλεήσας μου τὴν ἀπειρίαν καὶ ἀπαιδευσίαν αὐτός μοι προβάλλει ἐρωτῶν εἰ τοιόνδε μοι δοκεῖ εἶναι τὸ καλόν*: quae verba eadem atque haec ratione male tentavit Stephanus. V. ibi Heindorf. §. 30. Nos graeca in hunc fere modum imitemur: *Es scheint mir diese Rede nicht minder als da wir sie anfingen, indem sie ein Gegenstück zur Lust sucht, sich es hier zur Aufgabe gemacht zu haben, dass sie betrachtet, ob* etc.

Hipp. Min. p. 208, 16. ed. Bekk. p. 367. Steph.
Σωκρ. Βούλει οὖν σκεψώμεθα καὶ ἄλλοθι;
Ἱππ. Εἴ [ἄλλως] γε σὺ βούλει.

Non video idoneam causam, cur uncinis incluserit Bekkerus vocem *ἄλλως*. Manifestum est enim, hoc *ἄλλως* referri ad antecedens *ἄλλοθι*, ut plene dicendum fuisset *εἰ ἄλλως γε σκέπτεσθαι σὺ βούλει*. Quaerenti enim Socrati, placeatne in alio quoque genere eandem rationem considerare, respondet Hippias, gratum id sibi fore, modo Socrati placeat alia ratione idem declarare. Offendit fortasse virum graece longe doctissimum comparatio nostri *wenn anders*. Deni-

-nus enim respondet latinum, „*Num hoc dicamus.*" Quod posterius ante revocabis ad hanc formulam, μή τι τοῦτο λέγομεν; indicativo modo, *wir meinen doch nicht das?*: et jam argues, in hoc utroque, μή τι τοῦτο λέγομεν; et μή τι ταῦτο λέγωμεν, μή quidem particulae eandem prorsus vim esse. Conjunctivi autem rationem minime repetendam esse ex μή particula, sed ex eo, quod non quid non fiat, spectetur, ut in altero *wir meinen doch nicht das*, sed quid videatur non faciendum esse, *wir wollen doch nicht das sagen*. Sed hanc quidem rationem quamquam per se fateor mihi minime displicere, tamen nusquam eam confirmare videtur usus. Qua in re cavendum est, ne quis sibi imponi patiatur similitudine quadam rerum valde dissimilium. Ut Plat. de Rep. l. I, p. 19, v. 9. scriptum est Ἀνθρώπους δέ, ὦ ἑταῖρε, μὴ αὐτὼ φῶμεν βλαπτομένους εἰς τὴν ἀνθρωπείαν ἀρετὴν χείρους γίγνεσθαι; Πάνυ μὲν οὖν. ibid. p. 23, 8. Ὦ Θρασύμαχε, πῶς λέγεις; μὴ ἀποκρίνωμαι ὧν προεῖπες μηδέν; Vides tu quidem in his μή cum Conjunctivo junctum in interrogatione, sed minime id ista, quam modo explicuimus, ratione positum: neque enim licet illa interpretari, *wir wollen doch nicht sagen, ich soll doch nicht antworten*, id quod hanc vim haberet, „*non dicendum est, non respondendum est*:" sed ita, ut affirmandum sit id quod quaeritur, in hunc modum, *bey den Menschen aber wollten wir* n i c h t *also sagen (sc. ut in animalibus fieri concessum est), dass sie durch empfangenen Schaden an der menschlichen Vollkommenheit schlechter werden?* quo significatur, haud dubie sic esse judicandum: et ejusdem modi est alterum, *soll ich denn durchaus gar nichts antworten von dem was du untersagtest?* i. e. quaedam certe istarum et quodammodo ista dicere licere concedes. Nec magis huc pertinet Xenophontis locus,

quem Heindorfius affert ad Phaed. §. 23. Oecon. c. 4, 4. *Ἆρα, ἔφη ὁ Σωκράτης, μὴ αἰσχυνθῶμεν τὸν Περσῶν βασιλέα μιμήσασθαι;* quem Heindorfius sic interpretatur: *Num verendum, ne pudeat nos,* i. e. *Num pudebit nos Persarum regem imitari?* At est opinor sublato interrogandi signo interpretandum: *Ne pudeat igitur nos Persarum regem imitari, nun wir wollen uns denn nicht schämen, es dem Perserkönig nachzuthun.* Neque offendere debet *ἄρα* sine interrogandi vi positum, de quo v. Stallb. ad Phil. p. 225. et Hermanni Praef. ad Oed. Col. — Atque eadem jam ratione rejiciendum videtur illud *ἆρα μὴ πλημμελοίην ἄν τι:* nam nihil proderit talem causam praetexere, Optativum illum cum *ἄν* per se constare neque aptum esse e *μή* particula, quae quidem certum quendam modum in isto interrogationum genere per se non requirat: sed quaeritur, quid ferat usus. *) Cujus in hac re legem ne ita quidem sustuleris, si compares aliorum dicendi generum similitudinem, ut *εἰ* particulae constructionem cum Optativo addita *ἄν* particula, de qua v. Herm. ad Vig. p. 830. et Reisig. Comment. de *ἄν* P. p. 107. **); ad exempla ab illis congesta addo

*) Cf. quae infra in nota disputabimus ad Hipp. Maj. p. 414, 8.

**) Quum proxima sit in praeclaro illo libello disputatio de *πρὶν ἄν*, meminimus rectissimae Hermanni dubitationis, quam ad Eurip. Med. v. 215. proposuit, ne non abjudicanda omnino esset a familiari sermone *πρίν* particulae constructio cum Conjunctivo sine *ἄν*. Suppeditamus igitur aliquot exempla. Theaet. p. 232, 18. *τὸν γὰρ προςελθόντα οὐκ ἀνίης πρὶν ἀναγκάσῃς ἀποδύσας ἐν τοῖς λόγοις προςπαλαῖσαι*, ubi nullus liber ms. habet *πρὶν ἂν ἀναγκάσῃς*, sed duo *ἀναγκάσεις*. Phaed. p. 13, 13. Mss. omnes *μὴ πρότερον αὑτὸν ἀποκτιννύναι δεῖν, πρὶν ἀνάγκην τινὰ ὁ θεὸς ἐπιπέμψῃ*, sed Bekkerus non constans satis sibi ipse de Heindorfii conjectura scripsit *πρὶν ἂν ἀνάγκην*. Idem de Legg. IX. p. 157, 1: *οὐδὲ ἐκπλύτον ἐθέλειν γίγνεσθαι*

Alcib. I, p. 323, 7. Ἀλλ' οὐκ οἶδα, εἰ οἷός τ' ἂν εἴην. Xenoph. Memorab. Ἀλλὰ μὴν εἴ, γε μηδὲ δοῦλον ἀκρατῆ δεξαίμεθ' ἄν, πῶς οὐκ ἄξιον etc. Qua re sic statuendum videtur, Graecos hujusmodi formulas μή τι γελᾷς constanter ita usurpasse, ut, quod liberum esset facere discriminis varietate adhibita Modorum, id in hoc genere omnino omiserint solum usurpantes Indicativum.

Alterum, quod diximus, Tempora quidem verborum illud μή sequi posse omnia, id quum arguatur ratione, tum exemplis confirmatum est a vv. dd. plurimis. Ἆρα μὴ τέθνηκε; *er ist doch nicht todt?* Ἆρα μὴ ἔθανε; *er starb doch nicht.* μῶν μὴ τοῦτο δράσεις; *ie du wirst doch das nicht thun?* Rariora esse vidi exempla adjuncti Imperfecti. Plat. Lys. p. 127, 21. Ἆρα μή, ἦν δ' ἐγώ, ὦ Μενέξενε, τὸ παράπαν οὐκ ὀρθῶς ἐζητοῦμεν; quod reddes, *wir führten doch also nicht etwa die ganze Untersuchung unrichtig?* *)

τὸ μανθὲν πρὶν φόνον φόνῳ ὁμοίῳ ὅμοιον ἢ δράσασα ψυχὴ τίσῃ librorum mss. omnium auctoritati obsecutus non cogitavit de inferenda ἄν particula. Et vereor, ne in altero quoque loco, quem Heindorfius ad Phaed. §. 16. tentavit, Lach. p. 270, 5. μὴ παύεσθαι ὑπὸ τούτου περιαγόμενον λόγῳ, πρὶν ἂν ἐμπέσῃ εἰς τὸ διδόναι περὶ ἑαυτοῦ λόγον, minus caute a Bekkero ἄν sit additum, posthabita cum aliorum tum Bodlejani libri auctoritate. Ex Thucydide μέχρι particulae sine ἄν cum Conjunctivo constructae exempla congessit Poppo in Observatt. Crit. in Thuc. p. 143.

*) Cf. Herm. ad Vig. p. 789. et 810., et Heind. ad Protag. §. 8. Adde Protag. p. 192, 18. Τούτῳ μὴ ἔστι τι ἐναντίον ἄλλο πλὴν τὸ βαρύ; Οὐκ, ἔφη. Apolog. p. 113, 9. μὴ αὐτὸν οἴει φροντίσαι θανάτου καὶ κινδύνου. Crit. p. 146, 20. Ἆρά γε μὴ ἐμοῦ προμηθεῖ καὶ τῶν ἄλλων ἐπιτηδείων —; Men. p. 343, 18. Μὴ ἄλλ' ἅττα λέγεις τἀγαθὰ ἢ τὰ τοιαῦτα; de Legg. I, p. 208, 23. Ταύτην οὖν μῶν ὀρθῶς γιγνομένην ἤδη τίς πώποτε ἐθεάσατο; Alcib. Maj. p. 338, 11. Μῶν οὖν οἴει τι βλαβή-

Sed gravius est, ut moneamus, μή interrogativam particulam etiam in obliqua, quam appellant, interrogatione usurpari, idque eadem lege, sequente Indicativo Temporis quidem cujuslibet, ut μή sit nostrum *ob nicht*. Hujus generis quod non recte perspiceretur ratio, multi se passi sunt decipi. Hinc factum est, ut Matthiaeus v. cel. traderet, pro Conjunctivo etiam Indicativum sequi formulas δείδω μή, φοβερὸν μή, et alio loco, Indicativum temporum praeteritorum eandem particulam sequi ita, ut *praeteritam* rem esse significaretur, ut δείδω μὴ δὴ πάντα θεὰ νημερτέα εἶπεν *dass sie gesagt hat*. Matth. gr. gr. maj. ed. priore p. 730. et p. 738. Nec multum hinc distat Hermanni praeceptum ad Vig. p. 797., δέδοικα μὴ τέθνηκε esse, *metuo, ne mortuus sit*, quod erat opinor δέδοικα μὴ τεθνήκῃ. Me si audis, paullo aliter statues. Plat. Soph. p. 165, 9.

σεσθαι ἐπιμεληθεὶς σαυτοῦ; Οὐδαμῶς, ἀλλὰ καὶ μεγάλα ὀνήσεσθαι. Quod autem Hermannus l. l. tradit, interdum μῶν et μῶν μή ita poni, ut is, qui loquitur, rem affirmari velit, id in his quidem particulis saepius licet observare. Cf. Phil. p. 185, 6. Phaed. p. 59, 6. de Rep. I, p. 81, 17. de Legg. I, p. 179, 8. Contra rarissime eodem modo usurpatur ipsum simplex μή. Unum ejusmodi locum supra tractavimus Protag. p. 155, 2., cui comparandus videbatur alter Men. p. 367, 10. Sed de μῶν et μῶν μή quoniam haec disputamus, nolumus committere, ut praetereamus notabilia illa Hipp. Maj. p. 414, 8. Ἀλλ' ἐκεῖνο, μῶν μὴ Λακεδαιμόνιοι σοῦ βέλτιον ἂν παιδεύσειαν τοὺς αὑτῶν παῖδας; ἢ τοῦτο φῶμεν οὕτω, καὶ σὺ συγχωρεῖς; et Men. p. 331, 1., quem locum Stallbaumius in ed. hujus dial. plane neglexit, Τί δαί; παῖς καὶ πρεσβύτερος μῶν ἀκόλαστοι ὄντες καὶ ἄδικοι ἀγαθοὶ ἄν ποτε γένοιντο. In his locis nec corruptelae ulla suspicio est, et Optativum ad rem vides aptissime positum. Jam ratio evincere videbitur, etiam μή simplex pari lege eodem modo construi posse quo μῶν ex μὴ οὖν compositum, idemque cadere in ἆρα μή: sed in hac re equidem requiro firmiora argumenta, loca certissima veterum scriptorum. Quis unquam graece dixit: μὴ τοῦτό γε δρῴης ἄν; quanquam id rationi dicas minime repugnare.

ἢ διστάζομεν ἔτι μὴ περὶ ὅσων περ ἀντιλέγειν δοκεῖ δυνατὸς εἶναι, περὶ τοσούτων καὶ τὰς ἐπιστήμας ἀληθῶς ἔχων τυγχάνει, *oder zweifeln wir noch, ob er nicht — die Bekenntnisse wirklich besitzt*, quo loco Indicativus τυγχάνει omnino munitus est. Theaet. p. 290, 17. καὶ ἐνθυμοῦ μή τι τότε γίγνεται ἄλλο ἢ etc., *bedenke, ob nicht.* Jam equidem non audeo dubitare, quin μὴ particula etiam in formulis ὅρα μὴ et φοβοῦμαι μή, ubi cum Indicativo construitur, a Graecis eodem modo posita sit cum vi interrogandi, atque nostrum *ob nicht.* Tetigit hoc Schaeferus Melet. crit. p. 115.: amplius tractavit Hermannus in egregia disputatione ad Medeae v. 310., quae tamen mihi quidem non ab omni parte satisfacit. Theaet. p. 181, 18. ἀλλ' ὅρα, μὴ παίζων ἔλεγεν, *ob er es nicht im Scherz sagte.* Alcib. II. p. 274, 17. ἀλλ' ὅρα, ὦ μακάριε, μὴ οὐχ οὕτω ταῦτ' ἔχει. et cf. Buttmannum ad Menonem §. 26. — Longe autem frequentissimum est φοβοῦμαι μὴ cum Indicativo Phileb. p. 135, 3. φοβοῦμαι δὲ μή τινας ἡδονὰς ἡδοναῖς εὑρήσομεν ἐναντίας, i. e. „*vereor an*, sive *nescio, an inventuri simus*," ad quem locum vide quae attulit Stallbaumius p. 13., et cf. Heindorf. ad Cratyl. §. 23. Atque ejusdem modi ea sunt exempla, quae Matthiaeus percensuit l. l.: δείδω, μὴ δὴ πάντα θεὰ νημερτέα εἶπεν, *ich fürchte, ob sie nicht alles wahr gesprochen.* φοβούμεθα, μὴ ἀμφοτέρων ἅμα ἡμαρτήκαμεν „*veremur, nescio, an utrumque nos fefellerit.*" — Denique *) videant, qui harum rerum studiosi sunt, an recte hoc observasse videar. Etenim quum in directa, quam appellant, interrogatione μὴ particula plerumque ita ponatur, ut negatum iri exspectetur id quod quaeritur, ut μὴ σύ γε τοῦτο δράσεις qui quaerit, responderi velit Οὐ μὴ δράσω τοῦτ' ἔγωγε: contra in obliqua interrogatione idem μὴ ita plerumque ponitur,

*) Confer, quae in hanc sententiam disputavit Hermannus.

ut fieri aut factum esse aut factum iri id quod dicimus nos opinari indicemus. Quo in genere prorsus convenit cum Graeco sermone noster. Nam nos nostro *er ist doch nicht todt* significamus, non mortuum esse nos opinari: contra nostro *ich fürchte, ob er nicht todt ist* significamus, nos non sine metu opinari, esse mortuum. Itaque φοβοῦμαι μή respondet fere latinae formulae „*nescio an*," ut φοβοῦμαι, μὴ ἤδη τέθνηκε sit „*nescio, an jam mortuus sit*," *ich fürchte, ob er nicht schon todt ist*, quo significatur, mortuum eum jam esse. Contra formulae „*nescio an non*" respondet graecum φοβοῦμαι μὴ — οὐ, ut φοβοῦμαι, μὴ οὐχ οὕτως ἔχει sit, „*nescio, an non ita sit*," *ich fürchte, ob es nicht keineswegs so sey*, sive, *ich bin besorgt, ob es wirklich so sey*. Sed pro hoc φοβοῦμαι, μὴ — οὐ minime inauditum est Graecis φοβοῦμαι, εἰ. Eurip. Medea v. 187. δράσω τάδ', ἀτὰρ φόβος, εἰ πείσω Δέσποιναν ἐμάν i. e. εἴ μοι πεισθήσεται s. μὴ οὐ πεισθήσεται, „*nescio, an ei non persuasura sim*," *doch bin ich voll Furcht, ob ich sie überreden werde*. Cf. ad hunc locum Elmslejum, qui etsi minus accurate, at sensum certe verborum recte explicat φοβοῦμαι, μὴ οὐ πείσω, quem Conjunctivum esse vult. Comparat ille geminum locum Heraclid. v. 791. φόβος γάρ, εἴ μοι ζῶσιν, οὓς ἐγὼ θέλω. Nec minus congruus est Medeae versus 791. εἰσῆλθέ μ' οἶκτος, εἰ γενήσεται τάδε, *es kam mich Jammer an, ob das geschehen werde*, quo significat Medea, magno cum dolore se metuere, ne liberi non futuri sint superstites. Sed secus statuendum videtur de tertio loco, quem comparat Elmslejus, Andromaches v. 60. καὶ νῦν φέρουσά σοι νέους ἥκω λόγους, Φόβῳ μὲν εἴ τις δεσποτῶν αἰσθήσεται, οἴκτῳ δὲ σῷ: nam h. l. non dubito, quin conditionalis sit εἰ particula, „*si quis senserit dominorum*," *voll Furcht zwar (bei dem Gedanken, auf den Fall), wenn jemand von den Gebietern es bemerken*

würde. — Quodsi tamen nonnunquam etiam in ligata oratione μή illud cum negandi vi eodem modo ponitur, quo in libera interrogatione μή τι τοῦτο δράσεις, mihi quidem sic judicandum videtur: quemadmodum ἐρωτῶ, πῶς τοῦτο λέγεις usurpatur pro ἐρωτῶ, ὅπως τοῦτο λέγεις, adhibita scilicet, quo viget magis oratio, rectae interrogationis forma pro obliqua, ad eundem modum nihil impedire quominus illud μὴ τοῦτο δράσεις prorsus suam vim retineat conjunctum cum formula λέγε. Hinc λέγε, μὴ τοῦτο δράσεις erit: *sage, du wirst doch das nicht thun.* Hujusmodi manifesto hoc est in Phaedro p. 93, 13. εἰπέτω τοίνυν καὶ τόδε ἡμῖν ὁ Τισίας, μή τι ἄλλο λέγει τὸ εἰκὸς ἢ τὸ τῷ πλήθει δοκοῦν. Nec multum hinc differt Euripideus locus Phoeniss. v. 90. ἐπίσχες, ὡς ἂν προὐξερευνήσω στίβον, Μή τις πολιτῶν ἐν τρίβῳ φαντάζεται, i. e. „*exspecta, ut explorem viam, num quis civium in semita appareat:*" quibus quod haec adjuncta sunt κἀμοὶ μὲν ἔλθῃ φαῦλος ὡς δούλῳ ψόγος, Σοὶ δ' ὡς ἀνάσσῃ, mihi quidem non tam propter Temporum diversitatem Modus alius sequi videtur, quam quod alterius vis sententiae differt a priore: nam priora sunt interrogantis, posteriora metuentis, ita ut μή particula liberiore sane dicendi ratione priore loco sit *num*, deinde ubi repetendum est ad verba κἀμοὶ etc., significet *ne.* Aut, si mavis, sic statue, verba κἀμοὶ μὲν ἔλθῃ conjungenda esse cum superioribus ὡς ἂν προὐξερευνήσω στίβον, quo facto hoc unum singulare erit, quod oratione minus accurata negationis vis repetenda erit e verbis in medio positis: quam ambiguitatem nobis sic assequi licet, *warte, dass ich den Pfad ausforsche, ob nicht etwa der Bürger einer sich auf dem Wege zeigt, und mir schlimmer Tadel werde als dem Diener und dir als der Gebieterin.* Tractavit hunc locum etiam Hermannus ad Medeae v. 310. Sed ab illo in eo dissentio, quod μή particulam facilius puto

duplici significatu adhiberi potuisse, propterea quod Graeci duplicem eam vim, quam nos duobus vocabulis diversis notamus *num* et *ne*, utpote suo uno eodemque vocabulo contentam, structurae diversitate distinguere satis haberent. — In calce haec addimus. Primum notandum est, pro nostro *ich fürchte ob nicht* vix graece dici videri *φοβοῦμαι, εἰ μή:* constanter enim in hoc genere usurpatum esse videtur *φοβοῦμαι μή*. Deinde vix credes Buttmanno, usurpatum esse ab Atticis scriptoribus Conjunctivi formam *κεῖμαι*. Qui quod Gr. Gr. maj. T. I. p. 566. *) argumento utitur loco Platonis Phaed. p. 60, 1., mireris virum egregium praeter consuetudinem, quod valde improbabile est, tam certo affirmasse sine ulla dubitationis significatione. Nam ista quidem *φοβεῖσθε μὴ δυσκολώτερόν τι νῦν διάκειμαι ἢ ἐν τῷ πρόσθεν βίῳ* quis dubitet quin interpretanda sint, *ihr fürchtet, ob ich jetzt nicht missmüthiger gestimmt sey als sonst im Leben:* ut salvus sit Indicativus. Et quod idem provocat ad alium locum Phaedonis p. 76, 14. *ἐξ ὧν ἂν συγκῆται,* ibi altera *συγκεῖται* scriptura, quam ille non contemnendam dicit (vide etiam Heind. § 59.), modo scribatur *σύγκειται*, non est nisi in Bas. 2., ut jure ex errore nata videatur. Adde, quod alias apud Platonem nus-

*) Quoniam hic egregium illum librum attingo, adscribam exempla nonnulla contractae Optativi formae *εἶτον, εἴτην*, quae auctor desideraverat p. 549. T. I. Unum postea ipse attulit Phileb. p. 197, 22. ed. Bekk. in additamentis, quae praemisit alterius Tomi parti priori. Dedit Bekkerus vincente codicum auctoritate Parmen. p. 60, 20. *οὐκ ἂν οἵω τε εἴτην.* Sophist. p. 184, 17. *σχεδὸν γὰρ ἂν ἀμφοτέρως ἕν, ἀλλ' οὐ δύο εἴτην.* Erast. p. 283, 11. *ἠρόμην ὅ,τι ποθ' οὕτως ἐσπουδακότε τὼ μειρακίω εἴτην.* Parmen. p. 50, 12. *Οὐ γὰρ ἂν — εἴτην.* Denique Timaeo p. 27, 8. *οὐ μέρος ἂν εἴτην ἐκείνω*, ubi plerique libri mss., quod Stephanus ubique praetulit, male *ἦτην* exhibent.

quam κεῖμαι, κεῖται conjunctivi forma reperitur, sed sine ulla scripturae varietate Parmen. p. 48, 6. ἢ ἂν κέηται. Theaet. p. 250, 5, 8. ἕως περ ἂν κέηται, χρόνον ὅσον ἂν κέηται. Phileb. p. 196, 20. ἕως ἂν κέηται. Apud Homerum autem vereor ne cum Hermanno scribendum sit κέεται, quod ipsi Buttmanno minime displicere videtur.

Sed monet res ipsa, ne omittamus, ex hac disputatione quae redundare videntur ad illustrandum usum particularum οὐ μή. Quarum quum duplex sit structura, altera cum Indicativo Futuri, altera cum Conjunctivo potissimum Aoristi, dissentiunt, quomodo ejus formulae ratio explicanda sit. Copiose de ea nuper disputarunt ad Eurip. Med. v. 1120. Elmslejus et Hermannus, atque Hermannus subtiliter admodum Angli doctissimi errores quosdam notavit. Sed ut ingenue fatear, neutrius disputatio ita mihi persuasit, ut plane assentirem. Atque ut paucis exponam, quibus potissimum de causis ab Hermanni auctoritate discedendum esse putem: primum equidem non concesserim, propriam esse isti formulae utrique vim interrogandi, quae mihi quidem non magis necessario ei adhaerere videtur, quam per se ab ipsius natura abhorrere. Quod si possis subtili quadam arte efficere, ut videatur certe quodammodo omni illi generi interrogatio posse adhiberi: at, si libere judicandum est, mire saepe debebis simplicissimam orationem torquere, quo opinionem tuam cogantur commendare. Compares quaeso, quae ab Hermanno disputata sunt de v. 176. Oedip. Col. οὔτοι μήποτέ σ' ἐκ τῶνδ' ἑδράνων, ὦ γέρον, ἄκοντά τις ἄξει et quae duo alia explicat dubia visa Elmslejo. In his ille proprie hunc sensum inesse dicit: „*non te quisquam ex his sedibus non abducet invitum? i. e. non te sinet manere? Sinet vero.*“ Admiraberis acumen: ut credas, vereor. Nam ista quidem quamvis callida arte nescio quomodo

vera vis et simplicitas verborum corrumpi videtur, quae integra est missa interrogatione: „*Nullo te unquam pacto ex his sedibus, o senex, invitum quisquam abducet.*“ Neque aliter res comparata est in Conjunctivo. Perlustra mihi quantum maximam potes copiam exemplorum, et illum ipsum locum considera, ad quem multa ejusmodi indicavit Hermannus, Soph. Aj. v. 557. *οὔτοι σ᾽ Ἀχαιῶν, οἶδα, μή τις ὑβρίσῃ*: et confirmatum videbis, quam pleramque omnino oratio abhorreat ab interrogatione. Nam ista in Ajace verba sic interpretatur Hermannus: „*non te non laedat quis?* i. e. *non te quisquam illaesum sinat? Sinet profecto*: quum unice aptum sit. „*Non te profecto Argivorum, sat scio, quisquam laeserit.*“ — Non ignoro, indicatum potius quam demonstratum a me ese, minime propriam esse *οὐ μή* formulae vim interrogandi. Sed nunc, ne longus sim, sufficiat indicasse, praesertim in re minime recondita. Nec vero praetereundum est alterum, quo argui nobis videtur, vix probandam esse explicationem formulae *οὐ μή* ab Hermanno propositam: quod et ipsum non nisi paucis indicabimus. Etenim ut concedamus, ex quo pendet fere omnis Hermanni sententia, quod tamen minime concedimus, propriam esse illi formulae vim interrogationis; attamen vel sic ista explicatio vel maxime laborat eo, quod *μή* negationis ratio eum obducit orationi colorem, qui ab istis locis plerisque omnibus magis minusve alienus est. Est enim per se magna sane vis ejus orationis, qua, ut gravius aliquid affirmetur, ejus contrarium negatur: sed est illi non ubivis locus, nec mentiri ego eum dicam, qui pronuntiet, eandem hanc formulam, quae suo loco posita summam vim habeat, tam importune posse inferri, ut oratio tantum non fiat inepta. Ut chori verba in Oedipo fabula, vide quid ista ratione sonent: *dich sollte man nicht, wenn du es nicht willst, unweggeführt*

lassen? i. e. *man wird dich unweggeführt lassen, man wird dich bleiben lassen.* Addimus has rationes. Quanquam enim in numerato nobis est subtilis Hermanni observatio, μή in hoc genere, non οὐ poni propterea, quia μή non sit rei, sed cogitationis negans: tamen magnopere videndum esse putamus, ne multis locis οὐ aptior esset particula. Nam ista quidem regula etsi per se est verissima, tamen maxime facta est ad fallendum, quia saepe valde ambiguum est, utrum aptius sit negari, remne ipsam an cogitationem rei. Exemplo sit idem locus. Tolle cum οὐ particula interrogationem: supererit μή ποτέ τίς σε ἄξει. Hoc opinor vix feres, sed males οὔ ποτέ σέ τις ἄξει. Cui si jam restituis, quae detraxisti, οὐ particulam et interrogationem, nihil certe est, quod cogat μή pro οὐ ponere. Quod magis sentiretur, si latine dicere liceret *inabductus*: nam praestare certe diceres, „*non te quis non abducat?*" quam, „*non te quis inabductum sinat?*" Quanquam ego quidem graecam orationem talem Οὔ σέ τις οὐκ ἀπάξει; non probarem, nisi ea conditione, si quis antea audacter affirmasset, *neminem quemquam effecturum, ut se abduceret*, οὔ με οὐδεὶς ἀπάξει: cui recte responderet alter, „*Non te quisquam non abducet? at erit, qui te abducat.*" Οὐκ ἄρα σε οὐδεὶς οὐκ ἀπάξει; — Porro hoc objicimus. Ut staret Hermanni explicatio, quum μή particulae vim arctissime conjungi velit cum verbi notione, ut nobis quidem videtur, omnino necessarium esset, μή particulam semper id verbum proxime praecedere, quocum quasi unum efficeret vocabulum. Hinc Oedipi versus ut ea esset sententia, quam inesse vult Hermannus, dictum oportebat, οὔτοι ποτέ σ' ἐκ τῶνδ' ἑδράνων ἄκοντά τις μὴ ἄξει; — Tum non negligendum est, secundum Hermanni explicationem nihil impedire, quominus illam οὐ μή formulam etiam sequatur Optativus cum ἄν particula, et Tempora qui-

dem nullo discrimine omnia. At quanquam de Temporum quidem in hoc genere usu cautius judicandum est, Optativum certe ab illa formula prorsus abhorrere dixerim. Et ut intelligas, quantum intersit inter veram illius formulae vim et eam, quam Hermannus ei tribuit, considera mihi haec loca, Plat. Phaed. p. 104, 20. *σχολῇ γὰρ* (substitue *οὐ γάρ*) *ἄν τι ἄλλο φθορὰν μὴ δέχοιτο, εἰ τόγε ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον φθορὰν δέξεται.* Parmen. p. 44, 11. *οὐ γὰρ ἂν μὴ ἓν ἦν* (sc. *τὰ μὴ ἕν*) *ἀλλά πῃ* *) *ἂν ἓν ἦν.* Xenoph. Hist. Gr. l. VI. 1, 1. *ὡς — οὐ δυνήσοιντο μὴ πείθεσθαι τοῖς Θηβαίοις.* Aristoph. Ran. v. 42. *οὔτοι, μὰ τὴν Δήμητρα, δύναμαι μὴ γελᾶν.* Quae etsi sine interrogatione enuntiata sunt, planum certe ex iis fit, quae sit in hoc genere recta *μή* particulae ratio, et quam hujusmodi *οὐ* et *μή* particularum consociatio natura sua nec Modum ullum verbi nec Tempus respuat.

Sed sufficiant haec: quae propterea monenda putavi, ne temere viderer a summi viri auctoritate discedere. Quanquam, quod pergratum nobis accidit, ipse Hermannus sententiam suam de hac re jam mutasse videtur: nam ad Philoctetae v. 416. *οὐ μὴ θάνωσι* sic scripsit: „*nescio, an exempla, quale hoc est, magis commendent alteram illius formulae explicationem οὐ δεινὸν μὴ θάνωσι: hi non metuendum est ne mortui sint.*" Hanc autem rationem, ellipticam quam appellant, nos unice veram esse ducimus. Commendavit eam jam Heindorfius ad Phaed. §. 75., ubi ad verba *οὐδὲν δεινὸν μὴ φοβηθῇ* comparato alio loco Apol. p. 112, 7., cui adde de Rep. l. V. p. 245, 14. *οὐδὲν δεινὸν μήποτε ἡ ἄλλη πόλις — διχοστατήσῃ*, adscripsit: „*unde natum vide-*

*) Nescio, an scribendum sit *ἀλλὰ πῇ ἂν ἓν ἦν*, ut *πῇ* sit *ὀρθοτονούμενον*.

tur illud *οὐ μή*." Et eandem rationem tuitus est Reisigius ad Oed. Col. Comm. Crit. p. 258. Nos igitur pro viribus hanc explicationem paucis confirmemus. Ac primum quidem profitendum est, hanc rationem omnium esse simplicissimam. Neque enim putandum est, ipsum illud *δεινόν* quovis loco interponi mente inter *οὐ* et *μή*, sed omnino universam metuendi ac verendi notionem forma ea, quae cuique sententiae apta est. Quae Ellipsis, si modo credis Ellipsin vocandam esse, si te minime offendit in his formulis, *μὴ σύγε τοῦτο ποιήσῃς*, *μὴ σύγε τοῦτο ποιήσεις*, ante quas mente cogitari prodocent *φοβοῦμαι*, *φοβερόν ἐστι*, similia: at te offendit, quae reapse prorsus eadem est Ellipsis, si istis ipsis formulis nihil nisi *οὐ* particulam praemissam vides? Nam sic omnino judicandum puto, nihil in ista explicatione novi esse aut obscuri, sed summam simplicitatem, et *οὐ μὴ ποιήσῃς τοῦτο* pariter atque *οὐ μὴ ποιήσεις τοῦτο* prorsus ad similitudinem formularum *μὴ ποιήσῃς* et *μὴ ποιήσεις τοῦτο* dici solitum esse a Graecis ita, ut menti *τοῦ δεινόν ἐστι* notio obversaretur ante *μή* particulam. Jam vero videamus, quam illa locutio vim habeat. At mihi quidem longe gravius quid sonare videtur *οὐ μὴ ποιήσεις τοῦτο*, quam plena oratio *οὐ δεινὸν μὴ ποιήσεις τοῦτο:* sive quod licet audienti iis, quae verbis indicata tantum, non declarata sunt, sponte graviorem vim tribuere ea, quam vocabuli significatione comprehendas, sive quod alia nescio qua ratione usus majorem concisae isti formulae vim concedere maluit. Videtur autem graecis auribus illa formula non aliam vim habuisse, quam ut gravissime longe et cum singulari quodam *πάθει* rem negaret. Et quamvis id minus quibusdam placeat, comparemus, quae noster sermo habet similia: quae etsi non ubivis respondent Graecorum illi formulae, utilia certe erunt ad universam illius vim, qualis sit, declarandam. En nostra,

quibus gravius negamus aliquid futurum esse, quam si dicimus, *das wird gewiss, das wird wahrlich nicht geschehen.* Usurpamus enim talia: *Nein, das wird nicht geschehen. Nein, das soll nicht geschehen.* Porro, *Kein Gedanke, das wird niemals geschehen. Keine Furcht, keine Besorgniss, das soll nicht geschehen.* Non placuit Graecis haec ad nostram consuetudinem dicere: *Οὐ, ταῦτ' οὐ γενήσεται*: sed proprium est in hoc genere Graecis *οὐ μὴ γενήσεται, οὐ μή ποτε γένηται.* Quodsi quaeris, quid hoc differat a nostro, id quidem non plus est, quam ut, quas nos plerumque seorsim ponimus duas orationis partes, eae a Graecis apte copulentur. Itaque quemadmodum nos nonnunquam dicimus, *Kein Gedanke, dass das je geschehen werde,* ita Graeci constanter in hoc genere *οὐ μὴ γένηται ταῦτα, οὐ μὴ ταῦτα γενήσεται.* — Sed hoc ipso loco dicendum est, num quid sit discriminus inter Futuri Indicativum et Aoristi Conjunctivum, quod quidem cum *οὐ μή* formula construitur utrumque. Schneiderus certe ad Xenoph. Hier. 9, 13., postquam *οὐ μή* formulae cum Conjunctivo constructae exempla quaedam comparavit, ita judicat: „*Longe est diversa ratio formulae οὐ μὴ παύσεσθε et similium positarum pro Imperativo παύσασθε.*“ Neque hunc reprehendit Reisigius, qui ad eum provocat l. l. Nobis quid videatur, jam ex iis conjicias, quae supra disputavimus. Etenim quemadmodum formula *οὐ μὴ γένηται τοῦτο* explicanda est *οὐ φοβοῦμαι μὴ γένηται τοῦτο,* ut propria sit metuendi verborum structura adhibita: ita in altero *οὐ μὴ γενήσεται τοῦτο,* quod explicamus *οὐ φοβοῦμαι μὴ γενήσεται τοῦτο,* nihil ab illa ratione discessum est, nisi quod simpliciori metuendi verborum structurae substituta est ea, qua id, quod quis vereatur, per interrogationem enuntiatur, quod genus supra pluribus illustravimus, cf. *φοβοῦμαι μή τινας ἡδονὰς ἡδοναῖς εὑρί-*

σωμεν ἐναντίας. Quodsi comparas nostra, quibus graeca ista exprimuntur, *ich habe keine Besorgniss, dass das geschehen werde*, et, *ich habe keine Besorgniss (es ist nicht daran zu denken), ob das geschehen werde:* facile intelligis, rem ipsam si spectas, utriusque formulae vim ad idem redire, discrimen vero omne fere in elocutione positum esse, quam formam aut vim rhetoricam appellant. Accuratius in hoc discrimen inquisivit Hermannus ad Eur. Med. v. 310., ubi disputat de Sophocleo *ὅρα καθ' ὕπνον μὴ καταχλιθεὶς κυρεῖ.* Quum autem saepe perinde sit, utra formula adhibeatur, nobis quidem tulisse videtur usus, ut Futuri plerumque major vis sit; deinde ut ejusdem temporis potissimum in primis et secundis verborum personis usus dominetur, Conjunctivi autem Aoristi potissimum in tertia persona. Hanc rationem non improbare videtur Bekkerus, qui dociles docet subtilissima quaeque sine verbis: scripsit enim Apolog. p. 115, 12. *οὐ μὴ παύσομαι φιλοσοφῶν*, quum libri plerique et optimi habeant *παύσωμαι*, quam ego quidem illo loco scripturam defenderim. In causam autem hujus rei si inquiras, profuerit fortasse graecum *οὐ μὴ γένηται* comparare cum nostro *das soll gewiss nicht geschehen*, *οὐ μὴ γενήσεται* cum nostro *das wird gewiss nicht geschehen:* ut fortasse Graecis *οὐ μὴ παύσωμαι* non magis insolens certe fuerit, quam nobis *ich soll gewiss nicht aufhören* pro nostro *ich werde gewiss nicht aufhören.* Sed haec quidem quaestio admodum est lubrica.

Consultius est, tria, quae supersunt, attingere: ut explicemus de tempore Conjunctivi, de interrogationis forma, et de copularum *οὐδέ* et *μηδέ* discrimine.

Et Conjunctivi quidem vulgo tradunt non usurpari nisi Aoristum, sed cum duplici modo, quem jam distinxit Reisigius l. l. p. 257. Nam nonnunquam Aoristus propriam Praeteriti vim retinere videtur, ut Eur.

Heraclid. v. 885. *Οὐ γάρ τι μὴ ψεύσῃ γε κήρυκος λόγος*, *denn gewiss hat des Herolds Rede nicht getrogen*, sive mavis Futurum exactum, *denn gewiss wird des Herolds Rede nicht getrogen haben.* Quod autem Reisigius judicat, necessario h. l. Aoristum ponendum fuisse, quoniam de re dicatur praeterita: hoc ego non omnino concesserim. Neque enim negligendum est, praeconis verba ea respici, quibus non quod factum esset, sed quid futurum esset, pronuntiaverat, v. 276. *ἥξω δὲ πολλὴν Ἄρεος Ἀργείου λαβὼν Πάγχαλκον αἰχμὴν δεῦρο* etc. Qua re haec quidem causa minime obstabat, quominus futurum tempus adhiberetur. Nam quid reprehendas in hac oratione: *Minime enim fallent praeconis verba*, i. e. non mendacia deprehendentur, *denn gewiss wird des Herolds Rede nicht trügen:* significat enim, fore, ut Eurystheus cum exercitu agrum Atticum invadat. Obiter monemus, quod Elmslejus h. l. conjecit *σέ* pro *γέ*, eo nobis de elegantia orationis nonnihil detrahi videri, id quod senties comparata vernacula, quam dedimus, interpretatione omisso *dich:* praeterea aegre caruеris *γέ* particula ad verbum *ψεύσῃ*. Minus dubitationis habet alter locus Soph. Philoct. v. 417. *ἀλλ' οὐχ ὁ Τυδέως γόνος, Οὐδ' οὑμπολητὸς Σισύφου Λαερτίου, Οὐ μὴ θάνωσι.* Quae omnino cum Hermanno interpretaberis: „*hi non metuendum est ne mortui sint*,“ *die sind gewiss nicht gestorben.* Sed ne hoc dissimulem: equidem vereor, ne Graeci ipsi nullo ejusmodi, ut hodie creditur, discrimine facto semper in hoc genere eodem modo eandem Aoristi formam posuerint, ut futuri tantum temporis vim sentirent, etiamsi res ipsa, de qua diceretur, esset praeterita. In quo genere discernenda est ratio rhetorica a logica. Finge quempiam narrantem praeter alterius opinionem, Cajum mortuum esse: huic admirans alter, si nostras sit, recte respondebit, *ie der wird doch nicht sterben:*

quod, nisi fallor, utpote concise dictum, sic est explicandum, *das wird doch nicht wahr seyn, dass der gestorben sey*. Quanquam fateor, magis mihi placere eam rationem, ut Graecorum Conjunctivi Aoristum in hoc genere pro Futuro exacto esse putem. Sed monendum illud putabam, ne quid festinantius judicare videremur. — Quod autem Reisigius l. l. docet, alterum in hoc genere Aoristi usum esse eum, ut res indicetur *semel unaque actione gerenda:* verissimum illud quidem videbitur, si quaedam praecepta de Modorum quorundam Aoristi satis hodie trita unice sequaris: sin usum respicis, minime ita veram esse intelliges sententiam viri egregii, ut Conjunctivi illius Aoristus omnibus omnino locis, quibus non ad rem gestam s. praeteritam respiciatur, delectus sit ad significandam rem quae semel unaque actione gerenda sit. Perlustra mihi quaeso majorem copiam exemplorum, et saepe reperies Aoristi eam vim esse, ut nec praeteritae rei, nec semel aut una actione gerendae significationem habeat, sed simpliciter futurae ejusque nonnunquam etiam talis, quam saepius repeti aut per longius temporis spatium fieri cogitare licet: ut illud ipsum in Ajace *οὔτοι σ' Ἀχαιῶν, οἶδα, μή τις ὑβρίσῃ* ejusmodi est, ut minime de injuria una quadam semel non inferenda cogitandum sit, sed de injuria quavis, utcunque res tulerit, semper procul futura. Adde, quod istuc quidem praeceptum nihil omnino ad distinguendum in *οὐ μὴ* formula Aoristi et Futuri usum prodest, propterea quod, modo res ipsa sit in futuris, nihil omnino impedit, quominus etiam futurum tempus adhibeatur, quanquam illa res semel unaque actione gerenda sit: nam hoc opinor nemo ausit pronuntiare, hanc vim alienam esse a Futuro *ποιήσει*, *γενήσεται*, et non nisi talia, quae saepius sint facienda et diutius duratura, isto Futuro significari. Magnam vim exemplorum congestam habes ab Elmslejo: confer *Οὐ μὴ προσοίσεις*

χεῖρα et similia; quod, si verum esset Reisigii praeceptum, quoniam res semel unaque actione gerenda vel potius non gerenda est, falso esset dictum. Denique non magis illud praeceptum nobis quidem constare videtur, quam si quis contendat, particulas finales ἵνα et ὅπως ita tantum cum Aoristo Conjunctivi construi, si res indicetur semel unaque actione gerenda, cum Futuro, si temporis ostendatur perennitas. Qua re si hac potissimum causa Reisigius Oed. Col. v. 1696. scribendum putat οὐδὲ — μὴ μεμφόμεσθε et Aristoph. Lysistr. v. 704. κοὐχὶ μὴ παύσεσθε: eadem causa coget, ut quae Elmslejus ad Medeam congessit exempla corrigat pleraque omnia. — Sed quoniam de Tempore disputamus, quaerere libeat, cur in οὐ μή formula non omnium Temporum Indicativo et Conjunctivo locus sit. Nam si originem formulae respicis, quemadmodum recte dicitur μὴ ταῦτα γένηται, μὴ τοῦτο γένηται, μὴ γεγονὸς ᾖ, et porro μὴ τοῦτο γίγνηται, μὴ τοῦτο ἐγένετο, ἐγένετο μὲν οὖν, γεγένηται; sic eandem libertatem existimaveris in οὐ μή formula concessam fuisse: id quod quo minus factum sit, ratio certe nulla impedit. Quanquam enim quaecunque metuuntur, sunt futura, ut propria sit ac simplicissima formulae οὐ δεινὸν μή structura cum Futuro aut cum Aoristi Conjunctivo, tamen ipsa se quidem nihil impedit, quo minus metuendi verba cum quovis Tempore construantur. Quam rem quum supra jam attigerim, hic paucis amplius illustrare placet. Summa in hoc genere noster sermo libertate utitur. Nos dicimus recte: *Ich will nicht fürchten, dass du mich belügst, dass er mich belog, dass er mich belogen hat, dass er mich belogen hätte, dass er mich belügen würde, dass er mich belogen haben würde, dass er mich belügen wird, dass er mich belogen haben wird, dass er mich wird belügen wollen.* Quas ego formulas omnes,

nisi quae futuri sunt temporis, praecisas esse arbitror, explendas ita: *Ich will nicht fürchten, — dass es sich zeigen wird; dass ich erfahren werde, —; dass du mich belügst, dass er mich belog* etc. Atque ad hanc similitudinem Graeci quoque multa: ut illud apud Thucydidem, quod supra memoravimus, φοβούμεθα μὴ ἡμαρτήκαμεν ἀμφοτέρων sic explicandum videatur φοβούμεθα μὴ τευξόμεθα ἡμαρτηκότες ἀμφοτέρων. Qua re quum in hoc genere ratio summam concedat libertatem, magna nobis videtur cautione opus esse, ne temere condemnentur, quae optime dicta sint. Itaque diligenter observandum esse puto, an fortasse Graeci, quum usitatissimum longe esset οὐ μὴ γένηται et οὐ μὴ γενήσεται, etiam praeter hanc legitimam quasi constructionem alia quaedam admiserint. Vehementer igitur gavisus sum, quum Hermannum Oed. Col. v. 1027. scripturam οὐχὶ σοῦ μή ποτε — ἐπεύξωνται et tuitum esse et egregie tum argumentis tum firmissimis similium locorum praesidiis confirmasse viderem. Quis est enim, qui in dubitationem vocare audeat Xenophonteum illud οὐ μή σοι δύνωνται ἀντέχειν οἱ πολέμιοι? quod nostro modo sic explicabis: *non verendum est, ne eventurum sit, ut hostes tibi valeant resistere:* quanquam etiam latine hoc commodius, „*non verendum est, ne tibi resistere valeant,*" i. e. profecto non *valebunt* resistere. — Nos unum locum satis memorabilem in medium proferimus e Lachete p. 201, B, quem miror a novissimo editore neglectum esse, καὶ γάρ μοι δοκεῖς οὐδὲ μὴ ᾐσθῆσθαι ὅτι σὺ ταύτην τὴν σοφίαν παρείληφεν. Video, quam facilis sit suspicio, librariorum errore μὴ particulam male illatam esse, praesertim quum etiam codex unus eam omittat. Sed serio istud quidem non nisi levissimus homo suspicetur. Nec quidquam proderit fidem totius libelli in dubitationem vocare: qui quanquam mihi quo-

que non videtur a Platone scriptus esse, at antiquus certe est nec potest a dictione reprehendi. Stabit igitur illud *δοκεῖς μοι οὐδὲ μὴ ᾐσθῆσθαι:* nec quidquam est, cur id improbes, quanquam sit insolens. Libera oratione, ad similitudinem formulae *φοβούμεθα μὴ ἡμαρτήκαμεν*, dicendum erat *οὐ μὴ ᾔσθησαι*, *kein Gedanke, ob du bemerkt habest:* quod Graecis simpliciter sonabat confirmata graviter negatione, *du hast gewiss nicht bemerkt.* Hoc autem si Graecis probabatur, nihil profecto impedivit, quominus in ligata oratione eadem formula cum Infinitivo construeretur. Interpretor: *denn ich glaube, du hast gewiss nicht einmal bemerkt.* Vellem autem plura haberem huic similia.

Porro videndum est, quomodo cadat in hanc formulam interrogatio. Quam rem paucis absolvere licet. Nam qui perspexerit originem ac veram rationem formulae, facile intelliget, quemadmodum *οὐ τὸν φοβερὸν μὴ τοῦτο γενήσεται* et sine interrogatione recte dicitur *es ist ja nicht zu fürchten, dass diess geschehen werde i. e. das wird gewiss nicht geschehen*, et cum interrogatione *es ist doch nicht zu fürchten, dass diess geschehen werde? i. e. das wird doch wahrlich nicht geschehen?* utramque jam hanc rationem cadere etiam in concisam formulam *οὐ μή*. Utra autem quovis loco vera sit, non potest judicari nisi e ratione et vi ipsius cujusque orationis. Sic certum est, Apologiae locum, quem supra attulimus, *Οὐ μὴ παύσομαι φιλοσοφῶν*, porro Sophoclea *οὔ τοι σ' Ἀχαιῶν μή τις ὑβρίσῃ*, *Οὐ μὴ θάνωσι*, alia sine interrogatione esse pronuntianda. Contra Euripideum illud Med. v. 1120. *Οὐ μὴ δυσμενὴς ἔσει φίλοις, Παύσει δὲ θυμοῦ; du wirst doch wahrlich nicht übelwollend seyn gegen die Freunde, und vom Zorn ablassen?* et Aristophanea Nub. v. 366. *Ποῖος Ζεύς; Οὐ μὴ ληρήσεις; οὐδ' ἔστι Ζεύς*, et ibid.

v. 295. *οὐ μὴ σκώψεις, μηδὲ ποιήσεις, ἅπερ οἱ τρυγοδαίμονες οὗτοι*: haec facile sentitur esse interrogantium. Monendum est autem, quae loca futuri temporis secundam personam habent, minime omnia necessario esse cum interrogatione proferenda, ut visum est Elmslejo. Sic parum apta mihi videtur interrogatio in Penthei verbis Eur. Bacch. v. 784. *Οὐ μὴ φρενώσεις μ', ἀλλὰ δέσμιος φυγὼν τόδ', ἢ σοι πάλιν ἀναστρέψω δίκην*. Quae interpretor, *du wirst mich wahrlich nicht Vernunft lehren, sondern dir merken, dass du den Banden entkommen bist: oder du sollst die Strafe mir noch einmal leiden:* nam ipsa postrema verba *ἀλλὰ δέσμιος φυγὼν σώσει τόδε* omnino abhorrere mihi videntur ab interrogandi ratione, „*du wirst mich doch wahrlich nicht etwa Vernunft lehren, sondern dir das merken, wie du den Banden entkommen bist?* adde, quod nostro modo etiam illa quae sequuntur *ἢ σοι πάλιν ἀναστρέψω δίκην* aptius adjuncta sunt. Nec minus in Lysistrata Aristoph. v. 704, nisi parendum est auctoritati libri Ravennatis, omnino *κοὐχὶ μὴ παύσεσθε τῶν ψηφισμάτων τούτων* sine interrogatione scribendum est, *und ihr werdet wahrlich nicht aufhören als bis etc.* Quo autem Reisigius utitur argumento ad tuendum Aoristum, desinere uno temporis puncto cogitari posse, id propterea nullam vim habere videtur, quoniam ista quidem ratio a Futuro *παύσεσθε* minime abhorret.

Denique ut paucis perstringam duplicem in *οὐ μὴ* formula copulandi rationem per *οὐδέ* et *μηδέ*, facit Reisigii observatio l. l. p. 253. Qui quod laudat Schneideri judicium, qui ad Xenoph. Hier. XI, 15. Electrae Sophocleae versus 42. et 43. sic distingui jussit, *Οὐ γάρ σε μὴ γήρᾳ τε καὶ χρόνῳ μακρῷ Γνῶσ'. οὐδ' ὑποπτεύσουσιν ὧδ' ἠνθισμένον*: mihi quidem minor interpunctio post *γνῶσ'* vel propterea ponenda

videtur, ne nimis dura sit elisio: sed exigit eandem etiam ipsius sententiae ratio, quoniam istae partes sunt ejusdem orationis arctissime conjunctae. Est autem per se utramque probum *οὐ μή — οὐδέ* et *οὐ μή — μηδέ*: hoc uno quidem discrimine, quod in priore universae formulae *οὐ μή* copula *οὐδέ* adjuncta est *ἐκ παραλλήλου*, ut si plenius dicas *οὐ δεινὸν μή σε γνῶσι* (i. e. *σαφ᾽ ἴσθι, οὔ σε γνώσονται*), *οὐδ᾽ ὑποπτεύσουσιν* etc.: contra *οὐ μή — μηδέ* ita dicitur, ut formulae *οὐ δεινόν*, quae quidem vis inest in simplici *οὐ* particula, duae jam partes subjiciantur inter se per copulam conjunctae *μή — μηδέ*. Qua re etsi non nunquam fere perinde est, utro modo utaris: tamen proprie hoc interest, ut formula *οὐ μή — μηδέ* ea conjungantur, quae et ipsa arctissime sunt conjuncta et ab eo, qui loquitur, pari atque eadem vi negantur; contra formula *οὐ μή — οὐδέ* ea conjungantur, quae quum re ipsa paullo sint diversi generis, etiam a loquente quodammodo distinguantur, altera scilicet parte sejuncta quodammodo a priore, quo nunc efficitur, ut alterum, quod per *οὐδέ* additur, quasi obiter levius adjici videatur, quippe in quod non cadat gravior conjunctarum vis particularum *οὐ μή*, nunc ut idem gravius accidat ad sensum utpote sejunctim spectandum a priore. Formulae *οὐ μή — μηδέ* complura exempla vide apud Elmslejum, ut Eur. Hippol. v. 606. Bacch. v. 343. Aristoph. Nub. v. 295. Alterius generis rara sunt. In Electra Soph. v. 42. facile est intellectu, verba *οὐδ᾽ ὑποπτεύσουσιν ὧδ᾽ ἠνθισμένον* aptissime esse a structura formulae *οὐ μή* sejuncta, quoniam ut minorem vim habentia levius adjecta sunt, in hunc modum, *denn gewiss, man wird vor Alter und nach so langer Zeit dich nicht erkennen, und wird auch unter solchem Schmuck dich nicht vermuthen.* Aliter paullo judicandum est de Ajacis loco v. 557. *Οὐ*

τοι σ' Ἀχαιῶν, οἶδα, μή τις ὑβρίσῃ Στυγναῖσι λώβαις, οὐδὲ χωρὶς ὄντ' ἐμοῦ. Non sine causa postremis χωρὶς ὄντ' ἐμοῦ ea est negatio adhibita, cujus a vi omnis sententia pendet. Nam illud οὐδὲ χωρὶς ὄντ' ἐμοῦ hanc vim habet, „*et ne tum quidem illud verendum est, quando meo auxilio destitutus eris:*" contra μηδὲ χωρὶς ὄντ' ἐμοῦ vide ne valde inelegans et tantum non ineptum esset, utpote quod hanc vim haberet, „*non vereor, ne quis te laedat, et ne quis te laedat vel eo tempore, quando meo destitutus eris praesidio.*" — Praeterea notabile est οὐ μή — καί — καί Soph. Trach. v. 980., ubi καί particulis positis insolentius simplex copula est adhibita non repetita vi negationis. Nam illud quidem nullam habet offensionem, quod, ubi eorum, quae antea negata sunt, adjunguntur contraria, servata ceterum eadem structura ponitur οὐ μή — δέ et οὐ μή — ἀλλά. Cujus rei exempla complura reperis apud Elmslejum. *)

---

*) Ne iniquius fecisse videar, quod in hac disputatione non respexi ad ea, quae de particulis μή et οὐ μή nuper exposita sunt a Stallbaumio ad Menon. p. 98. sqq. et ad Criton. p. 108. sq., fatemur, ista quidem nobis parum satis fecisse: sunt enim in iis tum falso multa tradita, tum plurima minus subtiliter ac perspicue explicata, ut vix iis uti possis. Quale quaeso illud est, quod ait μή cum Indicativo constructum indicare „*quandam animi dubitationem et consultationem cum metu conjunctam, quam,* inquit, *latine per num, num forte exprimas. Quocirca cum Indicativo recte conjungi potuit.*" Quid inde discent tirones? Nimirum colligent, *Indicativum aptum esse ad significandam quandam animi dubitationem et consultationem cum metu conjunctam:* quae praeclara erit regula. Deinde quid prodest tironibus de οὐ μή particulis accipere, „*esse eam particulam, quae rem ipsam neget, cum illa copulatam, quae nonnisi ad animi sensum et cogitationem referatur, ut proprie οὐ μή significet nein, es dürfte wohl nicht.*" Nota ista sunt non minus quam vera, οὐ objectivam, quae appellatur, μή subjectivam negationem esse. Sed quantum

Nunc finem huic disputationi de οὐ μή formula ita imponamus, ut tractemus duo loca tragicorum, quorum de altero ipsum quod verum est perspexisse

---

erit, quod ex hoc discrimine discant tirones ad usum illarum particularum multiplicem discernendum: qui dum videbuntur jam sibi aliquid scire, plerique nihil scient. Quodsi doceas etiam, οὐ μή conjunctas particulas esse nostrum *nein es dürfte wohl nicht*: qui quaeso cavebis, ne, ubi graece reddentium sit omisso *nein* nostrum *es dürfte wohl nicht geschehen*, dicendum esse credant non οὐκ ἂν γένοιτο, sed μὴ γενήσεται vel μὴ γένηται, pariter atque dicatur *nein es dürfte wohl nicht geschehen* οὐ μὴ γενήσεται, οὐ μὴ γένηται. Nimirum non vidit vir doctissimus, in illustranda vi et ratione conjunctarum οὐ μή particularum omnium maxime hoc agi, ut doceatur, qua ratione sint istae conjunctae: id quod prorsus omisit. Condit jam Stallbaumius, multis sane ille modis de literis graecis et imprimis de Platonis libris optime meritus, leges grammaticas tam multas, ut jam credas eum in hoc genere regnare sibi videri: cujus si canones omnes veri ac novi essent, vehementer ejus ingenium ac doctrinam admirari deberes. Nos hoc miramur, praeter credulam multitudinem etiam apud Matthiaeum, virum graece doctissimum, illius auctoritatem tantum valere, ut ea plurimum abusus sit in nova editione grammaticae suae. Speramus, Philebus ubi noster prodierit, intellectum iri, viro laudatissimo neque ab universi sermonis graeci peritia neque ab accurato Platonis dicendi generis studio tantum laudis deberi, quantum ei a plurimis tribuitur. Et laudem quidem, quae maxima ea debetur, non invidemus: illud aegre ferimus, nimiam quandam fidem multos decipere, ut etiam tironibus, quibus imprimis error nocet, falsa et obscura pro veris ac perspicuis vendite nt. Nos quidem in Platonis librorum studio fatemur eorum, qui superstites sunt, non majores habere nobis videri duces, quam F. Schleiermacherum et Imm. Bekkerum: quorum etsi non ubivis juramus in verba, tamen neutrius ab auctoritate arbitramur discedere licere, nisi rationibus non levibus istis quibusdam et aliquo modo speciosis, sed gravissimis, certissimis et ab omni parte diligentissime exquisitis, illos te coarguere posse confidas. Errare aliquando humanum est, et, ut divinus philosophus ait, (de Rep. l. X. p. 467, 12.) πολλά τοι ὀξύτερον βλεπόντων ἀμβλύτερον ὁρῶντες πρότεροι εἶδον: sed quid est, quod illos unquam inepte molientes videris? Illos admiror.

nobis videmur, de altero opinionem habere certe non improbabilem.

Eurip. Heraclid. v. 371. haec sunt in chori cantu:

> Ἀλλ' οὐ πολέμων ἐραστάς,
> μή μοι δορὶ συνταράξῃς
> τὰν εὖ χαρίτων ἔχουσαν
> πόλιν, ἀλλ' ἀνάσχου.

Guilielmus Canterus conjecit Ἀλλ', ὦ πολέμων ἐραστάς, „sed, o belli avide:" ejusque auctoritatem secuti sunt in versione quidem latina Barnesius et Musgravius. At hoc modo gravissimae orationis vis valde corrumpitur: nam ista, μή μοι δορὶ συνταράξῃς τὰν — πόλιν, misere jam frigent, „ne mihi urbem perturbes," dass du mir ja nicht etc. Sed magis miror Elmslejum, qui quum recte censeat sanam esse vulgatam scripturam, at pessime interpretatur cum Porto, „sed non sum amans bellorum." Nam primum ut εἰμί verbum recte omitti posset, additum certe esse oportebat ἐγώ. Ἀλλ' οὐκ ἐγὼ πολέμων ἐραστάς. Deinde et manet ea molestia, quam in Canteri conjectura reprehendimus, et accedit nova illa pene major, quod et sententiarum et verborum vinculum idoneum omnino desideratur. Nam vide mihi hanc sententiam, quae sola in verbis graecis ex ista quidem ratione inveniri potest: „At quum nos non simus studiosi belli, fac quaeso, ut ferrum tuum parcat urbi nostrae gratiis dilectissimae." Ut alia praetermittam, quis non videt, quam ista oratio mollitiae et timoris plena a chori voluntate omnino aliena sit. At sunt illa omnino plana verba et expedita, modo sic interpungas:

> Ἀλλ' οὔ, πολέμων ἐραστάς,
> Μή μοι δορὶ συνταράξῃς etc.

Est enim hoc idem illud οὐ μή, de quo supra disputavimus. Πολέμων ἐραστάς autem appellatur Eu-

rystheus, et vis totius orationis gravissima haec est: *At non continget, bellorum machinator, tu ut ferro mihi perturbes gratiarum munere florentem urbem; at te cohibe.*

Nein nimmer, o Friedenstörer,
Soll deine Gewalt erschüttern
Die blühende Stadt der Charis.

Vix ego aliam exputo causam, cur haec ratio latuerit homines doctissimos, quam quod disjunctio falleret particularum *οὐ μή*, quae hoc quidem loco justissimam causam habet interposita compellatione ejus, ad quem omnis oratio spectat. Sed ejusdem generis quum alia nonnulla exempla in iis, quae supra perlustravimus, poetarum locis occurrerint, non alienum videtur, etiam in soluta oratione ostendere idem factum esse. Plat. Polit. p. 317, 19. *'Αλλ' οὐ μήν, οὕς γε ὁρῶμεν μισθωτοὺς καὶ θῆτας πᾶσιν ἑτοιμότατα ὑπηρετοῦντας, μή ποτε βασιλικῆς μεταποιουμένους εὕρωμεν.* ibid. p. 359, 2. *Οὐδ' ἄρα ἡ κατὰ φύσιν ἀληθῶς οὖσα ἡμῖν πολιτικὴ μή ποτε ἐκ χρηστῶν καὶ κακῶν ἀνθρώπων ἑκοῦσα εἶναι συστήσεται πόλιν τινά.* Sympos. p. 450, 9. *ὁπόσον γὰρ ἂν κελεύῃ τις, τοσοῦτον ἐκπιὼν οὐδὲν μᾶλλον μή ποτε μεθυσθῇ.* Theaet. p. 213, 7. *Οὐκοῦν ἐγώ τε οὐδὲν ἄλλο ποτὲ γενήσομαι οὕτως αἰσθανόμενος — οὔτ' ἐκεῖνο τὸ ποιοῦν ἐμὲ μή ποτ' ἄλλῳ συνελθὸν ταὐτὸν γεννῆσαν τοιοῦτον γένηται.* Phileb. p. 153, 17. *Οὐδέτερος ὁ βίος, ὦ Σώκρατες, ἔμοιγε τούτων αἱρετός, οὐδ' ἄλλῳ μή ποτε, ὡς ἐγῷμαι, φανῇ.* Clitoph. *σχεδὸν οὔτ' ἀντεῖπον πώποτε οὔτ' οἶμαι μή ποτ' ὕστερον ἀντείπω.* de Rep. l. X. p. 492, 19. *Οὐ γὰρ τό γε ἀγαθὸν μή ποτέ τι ἀπολέσῃ, οὐδὲ αὖ τὸ μήτε κακὸν μήτε ἀγαθόν.* ibid. p. 470, 14. *δύο τε τοιαῦται ἢ πλείους οὔτε ἐφυτεύθησαν ὑπὸ τοῦ θεοῦ οὔτε μὴ φυῶσιν.* ibid. l. VI. p. 302, 3.

ὅτι οὔτε πόλις οὔτε πολιτεία οὐδέ γ' ἀνὴρ ὁμοίως μή ποτε γένηται τέλεος, πρὶν ἂν etc. ibid. l. V. p. 261, 11. *οὐκ ἔστι κακῶν παῦλα — ταῖς πόλεσι, δοκῶ δὲ οὐδὲ τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει, οὐδὲ αὕτη ἡ πολιτεία μή ποτε πρότερον φυῇ τε εἰς τὸ δυνατὸν καὶ φῶς ἡλίου ἴδῃ, ἣν νῦν λόγῳ διεληλύθαμεν.*

Alter locus, de quo dicturus eram, est Soph. Oed. R. v. 329. ed. Herm.

Πάντες γὰρ οὐ φρονεῖτ'. ἐγὼ δ' οὐ μή ποτε
Τἄμ', ὡς ἂν εἴπω μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά.

De his vatis verbis multi disputarunt multa, quorum mihi, ut ingenue profitear, nihil prorsus satis facit. Sed dicendum est, antequam meam opinionem proferam, cur nec Hermanni nec Reisigii explicatio probanda videatur: nam ceteras illi quoque improbant. Et Reisigius quidem Comm. Crit. ad Oed. Col. p. 357. servata ceterum codicum scriptura verba sic distingui jubet, *ἐγὼ δ' οὐ μή ποτε τἄμ', ὡς ἂν εἴπω, μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά,* addita explicatione hac: „*verba ὡς ἂν εἴπω*, inquit, *sunt: quoquo modo dico: id est, dum loquor, nunquam mea proferam, ne tua aperiam mala.*“ Nollem paucis ita defunctum virum egregium: credo enim, illa quidem explicatione eum non mihi uni non persuasisse, immo multis fortasse non omnino graeci sermonis imperitis difficultatem horum versuum etiam auxisse videri. Nos quid sentiamus, dicamus libere. Odit enim ille ipse, quam nos quoque odio habemus, simulationem omnem et imprimis fucatam quandam modestiam, longe istam a magna verae ac sincerae modestiae virtute abhorrentem. Quodsi nos erraverimus, ignoscet ille errorem facilius ei, cui scio eum bene velle, quod multis modis testatus est, tum studiis nostris harum literarum tum ceteris rationibus nostris insigni humanitate ac benevolentia prospiciens.

Primum igitur vix crediderim fieri posse, ut ad verbi *οὐ μή ποτε* repetatur, e sequente *ἐκφήνω* verbo, quo opus est secundum illam rationem, *ἐκφανῶ*: quae Ellipsis nobis videtur prorsus intolerabilis esse. Nolo enim talia mihi comparari, „*Non ego te, sed me reprehendo*," quod recte dicitur. Sed quis unquam sic locutus est: „*Nunquam ego te, dum vivo, ne me deciperem.*" Hujus quidem formulae, ut equidem puto, omnino exempla afferenda erant, ut fides haberetur. Sed non levius est hoc alterum. Vehementer enim offendit illud *ὡς ἂν εἴπω*, quod, nisi addita explicatione, fateor me omnino non intellecturum fuisse, quale esset: nunc vero, ubi considero explicationem „*dum loquor*," multas intelligere mihi videor causas esse, cur omne illud *ὡς ἂν εἴπω*, quale quidem Reisigius esse vult, ferri nequeat. Primum enim equidem non concesserim, isto modo a Graecis *εἰπεῖν* verbum usurpatum esse. Nam *ὡς ἂν εἴπω* est „*dum dico*," *so lang' ich sage*, neque ullo pacto „*dum mihi facultas est loquendi.*" Sed etiamsi *τοῦ δύνασθαι* vim adjeceris, tamen ne sic quidem graece dictum erit *εἰπεῖν δύνασθαι* pro *loqui posse*: neque usquam legeris de moribundo, quem oratio defecerit, *οὐκέτι εἰπεῖν ἠδύνατο*, non magis quam quisquam nostratium dicat *er konnte nicht mehr sagen* pro *er konnte nicht mehr reden*. Non magis aptum erat *ὡς ἂν λέγω*: sed recte opinor se habebat, si modo id dicendum erat, *ὡς ἂν φθέγγωμαι*, quod proprie respondet nostro *so lange ich einen Laut von mir geben kann.* Sed istuc *ὡς ἂν εἴπω* non uno modo vitiosum habeo. Quid enim? quomodo defendes Aoristum? Is vero, si quid intelligo, ab ista sententia valde alienus est: opus erat praesente tempore. Accedit autem tertia difficultas, quo ipsa sententia laborat. Nam ipsum illud „*dum loquor*," ut concedamus posse eam vim in graeco *ὡς ἂν εἴπω*

inesse, vide ne valde langueat et frigeat. Apte hoc dicitur, „*dum loqui possum, laudes tuas celebrabo:*“ contra qui sapiat vix dixerit, „*dum loqui possum, hoc tacebo.*“ In hunc igitur modum, qui Reisigio placuit, haec Sophoclem intelligi voluisse, quamvis magni viri auctoritati non crediderim. — Magis longe commendabilis videtur Hermanni explicatio. Sed de hac quoque libere dicamus, quid in ea displiceat: non vult enim ille, qua est animi magnitudine, suos sibi assentari. Interpretatur igitur vir summus, mutata verborum interpunctione et posito pro *εἴπω* de conjectura participio *εἰπών*: „*Ego vero (sc. dicam)? nullo pacto: ne mea promens, tua prodam mala.*“ In quibus si nihil offenderet praeter novatam sine codicum auctoritate *εἰπών* scripturam, facile concederem. Nunc offendunt alia, eaque, ut puto, minime negligenda. Primum igitur equidem haereo in primis illis *ἐγὼ δ᾽; οὐ μή ποτε.* Nam etiamsi concesseris admitti posse *ἀποσιώπησιν*, at in ipsa formula *ἐγὼ δὲ*, si quid sentio, minime convenit opinor levissima *δέ* particula summae gravitati sententiae. Opus certe fuisse credo tali formula, *ἆρ᾽ ἐγώ; ἀλλ᾽ ἆρ᾽ ἐγώ; πῶς γὰρ ἐγώ;* vel, quod omnium esset aptissimum, addita *ἄν* particula *ἆρ᾽ ἂν ἐγώ;* sequente fere *ἀλλά.* „*Ego vero? at nullo pacto.*“ Sed praeterea magnopere vereor, ne *ἀποσιωπήσει* illi hic non locus sit. *Ihr alle denkt nicht weise: ich aber (sollte)? Nein nimmermehr, damit ich nicht, wenn ich das meine sage, dein Unglück an den Tag bringe.*“ Velim persentiri, illud *ἐγὼ δέ;* in hac quidem oratione vix aliter posse accipi, quam ut ex praecedentibus repetendum videatur *φρονῶ* vel *φρονοίην ἄν.* Quodsi praecessisset hujusmodi oratio „*Vos me jubetis proloqui,*“ facilior esset illa *ἀποσιώπησις:* quanquam vel sic conjuncta mallem in unum *ἐγὼ δ᾽ οὐ μήποτε* sine in-

terrogatione: „*Ego vero nullo unquam pacto se proloquar:*" nam ista interrogatio mihi quidem in hac oratione nescio quid habere videtur frigoris et inelegantiae. Ad haec incommoda novum accedit in sequentibus τἄμ' ὡς ἂν εἰπὼν μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά: Vix enim credideris, verba τἄμ' εἰπὼν eo loco a poeta esse posita, quo negationis vis nihil ad ea pertinere videretur: „*mea ut si proferam, ne tua aperiam mala:*" nobis certe, ut vera esset sententia, verba sic videntur ex illa quidem ratione collocanda fuisse, ὡς ἂν μὴ τἄμ' εἰπὼν τὰ σ' ἐκφήνω κακά. His igitur quum Hermanni viri summi ratio laboret molestiis, licebit ad minuendam ejus fidem etiam illo argumento uti, quod intulerit demum hanc in poetae verba sententiam mutato pro arbitrio εἴπω in εἰπών. — Pluribus de Hermanni et Reisigii explicationibus dicendum videbatur, ut ostenderemus, minime nos spreta temere summorum virorum auctoritate nostram levem aliquam ac forte oblatam opinionem proferre audere. Nos igitur hoc modo de his verbis existimamus, longe omnium ut putamus simplicissimo. Primum sanissimam habemus omnium excepto Venetocodicum scripturam. Verba autem sic distinguimus:

ἐγὼ δ' οὐ μή ποτε
Τἄμ', ὡς ἂν εἴπω, μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά.

Quae interpretamur in hunc modum: *Ego vero nullo unquam pacto mea committam ut dicam, ne tua aperiam mala.*" Nosti tritum illud οὐκ ἔστιν ὅπως, οὐκ ἔχω ὅπως. Neque igitur te offenderet haec oratio: ἐγὼ δ' οὐκ ἔστιν ὅπως ἂν τὰ ἐμὰ εἴπω. Atqui hoc ipsum dictum puta a Tiresia, nec vero eodem modo, sed longe illo graviore et ad hujus sententiae vim aptiore. Nam quae a poeta scripta sunt, sic interpretaberis: ἐγὼ δ' οὐ μήποτε γενήσεται (οὐ μὴ γενήσεται μηχανῇ οὐδεμιῶ) τἄμ' ὡς ἂν εἴπω, μὴ

τὰ σ' ἐκφήνω κακά, i. e. proprie, „ego vero non verendum est ne unquam fiat ut mea dicam,“ i. e. „ego vero nullo unquam pacto faciam, committam, ut mea dicam:“ quam gravissimam apparet esse orationem ad augendam vim negationis. Vellem sane unum certe locum huic similem afferre possim, quo οὐ μή omisso ἔσται vel γενήσεται positum esset sequente ὅπως: cujusmodi mihi quidem adhuc nullus praeter hunc occurrit. Sed etiamsi ab aliis in scriptoribus Graecis longe me diligentius versatis nullus comparari possit: tamen equidem, nisi luculenta demonstratione refutatus fuerim, credam recte et graece illud dictum esse ἐγὼ δ' οὐ μήποτε τἄμ' ὡς ἂν εἴπω. Est enim hujus loci singularis ratio. Primum enim sunt haec verba gravius animo commoti, et omnino quaevis Ellipsis facilius fertur. Deinde sunt haec ipsa οὐ μή ποτε in fine versus collocata, ubi pausa locum habet aptissima ad ἀποσιώπησιν. Denique noli negligere, quod maximum est, non esse simpliciter scriptum οὐ μὴ ὡς, sed addito ποτέ: hoc ipsum autem totum οὐ μήποτε tale est, ut facillime pro formula accipiatur, quae sententiam fere integram efficiat ita, ut, si cum graviore vocis intentione pronuntietur, vix quidquam desiderare tibi videaris. Compara nostrum: *ich aber, nein nimmermehr — dass ich das meine sagte, um nicht dein Unglück an den Tag zu bringen.* Sed, quod superest, insolenter positas objicies particulas ὡς ἄν. Novimus, quae de his particulis subtilissime disputata sunt a Reisigio ad Oed. Col. v. 1356.: quae tamen nos certe non ab omni parte pro exploratis habemus. Nunc unum sufficiat locum apponere nostro simillimum. Plat. Protag. p. 168, 9. σοὶ δὲ λέγοντι οὐκ ἔχω ὅπως ἂν ἀπιστῶ: quam scripturam codicum omnium prudenter servavit Bekkerus, non obsecutus Heindorfio, qui §. 27. scribendum fuisse censet aut

ὅπως ἂν ἀπιστοίην aut ὅπως ἀπιστοῖ *). Addimus, invitis libris mss. ab eodem Bekkero Euthyphr. p. 473, 17. scriptum esse αὐτός σοι ξυμπροθυμήσομαι δεῖξαι ὅπως ἄν με διδάξειας περὶ τοῦ ὁσίου: nam praeter unum Bodlejanum, in quo est levi errore διδάξῃς, reliqui libri omnes habent διδάξῃς, nescio an recte. Cf. etiam Herm. ad Vig. p. 791. Sed ut tandem finem faciamus, quod Hermannus ad Oed. Col. l. l. v. 1368: ὥσπερ ἂν ζῶ σοῦ φονέως μεμνημένος incaute ait Elmslejum judicasse inauditum fuisse Graecis ἕως περ: confirmamus Hermanni sententiam his locis: Theaet. p. 250, 4. ἃ δ' ἂν θῆται πόλις δοκοῦντα αὐτῇ, ταῦτα καὶ ἔστι δίκαια τῇ θεμένῃ, ἕως περ ἂν κέηται. Parmen. p. 99, 5. Ἀλλ' εἴ πέρ γε, οἶμαι, ἔστιν, ἀνάγκη αὐτὰ ἀεὶ, ἕωσπερ ἂν ᾖ, ἕν γέ τι εἶναι, μηδὲν δὲ ἀδύνατον. Et eodem modo μέχρι περ. Sophist. p. 220, 2. μέχρι περ ἂν ἀδυνατῇ. Polit. p. 252, 11. Τούτου τοίνυν μέχρι περ ἂν αὐτοὶ κοινωνῶμεν. Etenim quemadmodum ὅς περ dicitur, ad eundem modum ἕως περ et μέχρι περ, quod est pro μέχρι οὗ περ. Protag. p. 179, 15. Ἐκ παίδων σμικρῶν ἀρξάμενοι, μέχρι οὗ περ ἂν ζῶσι, καὶ διδάσκουσι καὶ νουθετοῦσιν.

Phileb. p. 173, 4. ed. Bekk. p. 30 Steph.

Ἔχω καὶ μάλ' ἱκανῶς· καί τοί με ἀποκρινάμενος ἔλαθες.

Permira ad h. l. narrat Stallbaumius de usu Participiorum: quae si in Appendice critica **) omnia retractasset, praeterirem. Nunc exemplis edoctus hoc quidem concessit, verborum λανθάνειν et φθάνειν,

*) De ὅπως ἂν cum Conj. Praes. et Aor. cf. eundem Heind. ad Phaed. §. 8. adde ad loca ibi congesta Menex. p. 404, 19. et de Rep. l. X, p. 511, 8.

**) Hac nuper auxit Philebum a. 1820 editum nomine praefixo editionis alterius.

quorum aoristos nonnisi cum aoristorum, et praesentia nonnisi cum praesentium participiis constitui male tradiderat; etiam aoristos cum participiis praesentis temporis et praesentia cum aoristi participiis conjungi: sed illud constanter affirmat, „*Graecos hanc sibi legem sanxisse, ut ea ponerent tempora participiorum, quibus re per tempus finitum expressa opus futurum videretur.*" Qui est insignis error, quem fere in singulis paginis veterum librorum arguere licet. An cum dicitur ἀπέθανε μαχόμενος ὑπὲρ τῆς πατρίδος, id est ἐμάχετο καὶ ἀπέθανε? Porro idemne est ἀποθανεῖται μαχόμενος ὑπὲρ τῆς πατρίδος et μάχεται ὑπὲρ τῆς πατρίδος καὶ ἀποθανεῖται? Idemne necessario καλῶς ἀγωνισάμενος ἐπαινεθήσει atque καλῶς ἠγωνίσω καὶ ἐπαινεθήσει?

Sed operae pretium est, pluribus rem minime obscuram illustrare, ne fallat Stallbaumii auctoritas eos, qui illum sequuntur, praesertim quum non, ut meminimus, ab aliis de ea re perspicue praeceptum esse. Est enim temporum participii duplex potissimum usus discernendus: sunt enim tempora participii nunc relativa, nunc absoluta. Dicamus prius de relativorum usu, qui est longe frequentissimus. Quum enim participii ea sit natura *), ut solum per se poni nequeat, sed semper habeat, ad quod applicetur, verbum aliquod finitum, quod appellatur: fit, ut etiam temporis ratio participiorum plerumque pendeat ex eo verbo, ad quod unumquodque participium refertur, ita quidem, ut participii non id tempus adhibeatur, in quod res ipsa cadit, per se si spectetur, sed ut comparatione facta temporis

---

*) Excipimus videlicet eam rationem, qua cum articulo ponitur.

verbi finiti ad hujus rationem participii tempus accommodetur: id quod planius dicere placet cum philosophis, participiorum tempora plerumque non esse absoluta, sed relativa ita ut ad verbi finiti cujusque tempus referantur. Itaque ex hac ratione, μαχόμενος quum ponitur, est id quidem praesens tempus, sed relative praesens ita, ut, cujus in temporis spatium cadat praesentia illa ejus pugnae, ex verbo finito demum, quod additur, cognosci queat. Addere autem jam licet verbi finiti tempus quodvis: *μαχόμενος ἀποθνήσκει dum pugnat moritur*, *μαχόμενος ἀπέθανε dum pugnabat mortuus est*, *μαχόμενος ἀποθανεῖται dum pugnabit morietur*. Similis est ratio praeteriti temporis: ut πολλὰ παθὼν suam vim propriam retineat junctum cum praesente ἀπαλλάττομαι; sed πολλὰ παθὼν ἀπηλλάχθην ita dicitur, ut τὸ παθεῖν antecessisse significetur τοῦ ἀπηλλαχθῆναι, ut sit „*postquam multa passus eram, abii*:“ et simili modo πολλὰ παθὼν γνώσει ita ponitur, ut παθὼν, quoniam refertur hoc praeteritum ad futurum γνώσει, jam sit pro futuro exacto. Denique eadem ratio est participii futuri: nam, comparatis his κηρύξων πάρεστι, κηρύξων παρεγένετο, κηρύξων παρέσται intelligis participii vim, si eam sejungis a verbo finito, triplicem hanc esse secundum varietatem temporis verbi finiti: *nuntiaturus est*, *nuntiaturus erat*, *nuntiaturus erit*: et *μέλλων θανεῖν λέγει est dicit dum moribundus est*, *μέλλων θανεῖν ἔλεξε dum moribundus erat dixit*, *μέλλων θανεῖν λέξει dum moribundus erit dicet*. — Atque haec quidem fere constans est ratio, qua tempora participiorum usurpantur non minus graeco sermone quam latino. Nec quidquam habet in hoc genere singulare, quod ab illa regula recedat, usus verborum λανθάνειν, φθάνειν, τυγχάνειν, similium. Nam recte dicitur et ἔλαθέ με ποιῶν τοῦτο et

ἔλαθέ με ποιήσας τοῦτο; sed hoc discrimine, ut prius sit „latebat me eum hoc facere“ es entging mir, dass er das that, alterum „latebat me eum hoc fecisse“ es entging mir, dass er das gethan hatte: nec minus recte dicitur ἔλαθέ με ποιήσων τοῦτο „latebat me eum hoc facturum esse“ es entging mir, dass er das thun wollte, λανθάνει με ποιήσας „latet me eum hoc fecisse.“ Idem cadit in alia ejusmodi verba: ἔτυχε παρερχόμενος contigit ut ille adveniret es traf sich, dass er dazu kam, ἔτυχε παρελθὼν contigit ut advenisset i. e. ut adesset es traf sich, dass er dazu gekommen war, ἔτυχε ἀφιξόμενος s. μέλλων ἀφικέσθαι contigit ut adventurus esset es traf sich, dass er ankommen sollte *). Sed illud operae pretium est monere, quaedam esse verba, quae propter singularem quandam significationem suam non omnia participiorum tempora sibi adjungi patiantur: ut παύειν, παύεσθαι verbum propterea non fert nisi praesens participii tempus, quoniam eam rem, cui finis imponitur, necessarium est eodem tempore fieri, quo finis imponitur: nam nec peractae jam rei nec futurae demum licet finem facere: hinc dicitur παύει αὐτὸν λέγοντα et παύεται λέγων, ἔπαυσεν αὐτὸν λέγοντα

*) Penitus a nobis sentitur, quo modo haec dicantur, si attractionem illam graeci sermonis imitamur, quam etiam hodie multi obscure nimis explicant. Uti enim latine dicitur pro „videtur te hoc facere“ per attractionem quandam videris hoc facere, ad eundem modum graece pro ἔτυχεν αὐτὸν παρέρχεσθαι (sc. τυγχάνειν verbo intransitivo modo posito, ut nos es traf, dass pro es trifft sich, dass) es traf sich, dass er dazu kam, dicitur ἔτυχε παρερχόμενος, quasi er traf sich als ein dazukommender, et similiter in reliquis temporibus, er traf sich als ein dazu gekommener, als ein dazu kommen werdender: quem participiorum usum si modo noster sermo ferret, tempora certe deberemus eadem adhibere atque Graeci.

et ἐπαύσατο λέγων, παύσω σε λέγοντα et παύσεται λέγων, nec vero παύσω σε λέξαντα, παύσομαι λέξας, aut ἔπαυσεν αὐτὸν λέξαντα, quod etiam absurdum esset. Magnopere autem differt ἐπαύσατο ὀνειδίζων *desiit exprobrare*, et ταῦτ' ὀνειδίσας ἐπαύσατο *haec postquam exprobraverat, desiit.* De quo discrimine sequitur ut deinceps exponamus.

Altera enim ratio ea est, ut tempora participiorum ponantur absolute, i. e. ita, ut nulla ratione habita temporis verbi finiti participii quidem id tempus adhibeatur, in quod res ipsa cadit, sola per se si spectatur. Huc primum revocandum est illud genus, quum participia usurpantur nominum instar praemisso articulo, ὁ δρῶν, ὁ δράσας, ὁ δράσων. Quorum tempora participiorum plerumque absoluta sunt, etsi non necessario: nam ὁ δράσας λέξει quum proprie sit „*qui facinus patravit, dicet*," potest idem ne addita quidem ad δράσας conditionali ἂν particula, significare „*qui patraverit, dicet.*" Sed ponuntur participia etiam sine articulo tempore absoluto. Veluti quum dicitur νῦν γ' οὐ ποιῶν τοῦτο ἀλλ' ἐν τῷ πρόσθεν ἐποίησα, νῦν γ' οὐ ποιῶν ἀλλ' ἐς τὸ λοιπὸν ποιήσω, ἅπαξ δὴ τοῦτ' ἀδικήσας οὐκ ἀδικήσω αὖθις. Quanquam sic reliqua oratione planum est, quod tempus intelligatur, etiam omissa illa per particulas distinctione recte dicitur καλῶς ἀγωνισάμενος πῶς οὐκ ἐπαινεθήσομαι; hoc sensu, „*quum bene certaverim, quomodo fiet ut non lauder?*" neque enim illud necessario est „*si bene certavero.*" Superest, ut moneamus, duplicem quam explicuimus rationem relativorum et absolutorum participii temporum nasci nobis videri ex eo, quod in absolutis arctior quaedam conjunctio observatur participii cum nomine, in relativis arctior conjunctio cum verbo. Et de relativis quidem quomodo hoc

dicam, satis apparet ex iis, quae supra de eorum natura exposuimus: de absolutis autem sic existimo. Etenim quod posuimus *καλῶς ἀγωνισάμενος πῶς οὐκ ἐπαινεθήσομαι* sic explicandum est, *ἐγὼ καλῶς ἀγωνισάμενος* *ego qui bene certavi πῶς οὐκ ἐπαινεθήσομαι;* nam illud *καλῶς ἀγωνισάμενος*, si nulla ejus quod sequitur verbi finiti ratione habita trahitur ad *ἐγώ* nomen, adjectivi instar ita ut conjunctum cum nomine substantivo participium quasi unam notionem efficiat *ich schön gekämpft habender*, jam non potest, qualecunque sequatur verbi finiti tempus, ipsum aliam vim habere quam „*ego, qui bene certavi.*" Sed in hoc genere magna cautione opus est, ne quis in judicanda temporum ratione decipiatur. Et ista superiora quidem, quoniam nimis vulgaria essent, non putavimus veterum scriptorum locis confirmanda esse, quae fere ubivis occurrunt; haec quae paullo impeditiora videantur, exemplis illustravimus. Imprimis autem cavendum est, ne quis temere varia participiorum tempora confundi posse existimet. Heindorfius quod ad Phaed. §. 10. *εὖ ἐποίησας ἀναμνήσας με* adscripsit, „*nota aoristo ἐποίησας pro ἀναμιμνήσκων adjectum, ἀναμνήσας,*" graviter reprehensus est a Stallbaumio his verbis, „*immo barbarum foret ἀναμιμνήσκων.*" At qualem ille narrat barbariem. Diligentissimus Heindorfius dicendi consuetudinis observator omiserat discrimen quod est inter *εὖ ἐποίησας ἀναμιμνήσκων με* et *εὖ ἐποίησας ἀναμνήσας με*: illud enim esset praesente relativo idem quod *εὖ ἐποίησας ὅτι με ἀνεμίμνησκες* „*bene fecisti, quod me monebas,*" hoc est aoristo absoluto *εὖ ἐποίησας ὅτι με ἀνέμνησας* „*bene fecisti, quod me monuisti.*" Atque ad hanc legem etiam cetera loca judicanda sunt, quae congessit l. l. Heindorfius, ut Xenoph. Memorab. II, 2, 7. *ἤδη πώποτε οὖν ἢ δακοῦσα κακόν τι σοι ἔδωκεν ἢ λακτίσασα*, i. e.

„*Unquamne igitur te jam laesit ita ut te momorderit aut excalcitraverit*,“ a quo paullo diversum erat δάκνουσα ἢ λακτίζουσα i. e. „*ita ut te morderet aut excalcitraret.*“ Et Aristophaneum illud ὅσ' ἡμᾶς ἀγαθὰ δέδρακας εἰρήνην ποιήσας est „*quantum nobis boni attulisti, quod pacem fecisti*,“ quum εἰρήνην ποιῶν esset „*quod s. quum pacem faciebas.*“ Iis autem, qui norunt, quid haec latino sermone differant, jam non opus est amplius demonstrare, illis locis omnibus quo discrimine aoristi participia aptius etiam sint adhibita quam praesentis temporis. Sed dicendum est etiam de Stallbaumii hujus rei explicatione. Is enim illud εὖ ἐποίησας ἀναμνήσας με explicandum putat per hanc formulam ἀνέμνησας με καὶ εὖ ἐποίησας. Idem fere tradit Hermannus ad Vig. p. 774 sq.: qui quum optime nobis eorum opinionem refutasse videatur, qui aoristi participium nonnunquam pro participio futuri poni statuissent, at illud quidem nobis non probavit, quod Herod. I, 14. verba Γύγης δὲ τυραννεύσας ἀπέπεμψεν ἀναθήματα ἐς Δελφοὺς οὐκ ὀλίγα sic explicat „*regnum occupavit et misit*,“ et similia alia eodem modo. Minus enim accurata illa nobis videtur explicatio propterea, quod eadem cadit in praesentis participium, modo interjecta „*et*“ copula participium revoces ad modum indicativum: istam enim rationem qui probant, videant, ne etiam hoc, πολλὰ εὖ ποιῶν τοὺς πολίτας πολλοὺς ἐποιήσατο φίλους, explicare debeat eodem modo „*multis beneficiis affecit cives eoque multos sibi conciliavit amicos.*“ Examinemus igitur ea, quae Hermannus proposuit, exempla ad nostram rationem. Et illud quidem, quod supra attulimus ex Herodoto, facillimam habet explicationem, modo recte interpreteris aoristum, cujus vis non fugit Hermannum: „*Gyges, postquam regnum adeptus erat, misit*“ etc.: nam τυραν-

νεύων praesenti tempore posito inepta existeret oratio haec: „*dum regnabat, i. e. per omne, quo regnavit, tempus, misit*“ etc. Simillimum huic est Diod. Sic. II, 13. *μετὰ δὲ ταῦτα ἐπ' Ἐκβατάνων τὴν πορείαν ποιησαμένη παρεγένετο πρὸς ὄρος Ζαρκαῖον καλούμενον*: quo loco si *ποιουμένη* scriptum esset, interpretareris, „*Postea autem, dum iter faciebat Ecbatana versus, venit*“ etc.: nunc aoristo posito interpretaberis, „*Postea autem, quum iter suscepisset Ecbatana versus, venit ad Zarcaeum montem.*“ Aliter paullo cetera loca expedienda videntur, in quibus subtiliora quaedam discrimina observare licet. Diod. XI, 31. *καὶ γενναίως ἀγωνισάμενος πολλοὺς ἀνεῖλε τῶν Ἑλλήνων*. Hermannus, „*non occidit*, inquit, *post pugnam, sed in pugna.*“ At hoc ipsum „*inter pugnandum* s. *dum pugnaret* ut significaretur, dicendum erat *ἀγωνιζόμενος*. Mihi illud graece liberius eodem modo dictum esse videtur, quo nos consuevimus dicere *nach einem wackeren Kampfe richtete er eine grosse Niederlage an*, pro quo nobis quoque inusitatum est *während eines wackeren Kampfes richtete er eine grosse Niederlage an.* Scilicet videtur illud brevius dictum esse ita, ut plenior sententia fere hujusmodi menti obversaretur, „*Postquam strenue pugnaverat, evenit, ut magna esset hostium strages.*“ Potest enim τὸ *ἀνελεῖν πολλοὺς τῶν Ἑλλήνων* etiam ita spectari, ut eam stragem consecutam esse cogitetur e fortitudine victoris, nec solum altero isto modo, ut strages ederetur, dum fortiter pugnaretur a victore. Reliquorum jam locorum rationem interpretando tantum illustremus. Diod. II, 13. *ἐν τούτῳ δὲ τῷ τόπῳ συχνὸν διατρίψασα χρόνον καὶ πάντων τῶν εἰς τροφὴν ἀνηκόντων ἀπολαύσασα, γῆμαι μὲν νομίμως οὐκ ἠθέλησεν.* „*Eo autem loco quanquam diu admodum commemorata est omnique genere per-*

fructa est deliciarum; nubere rite quidem noluit:" sunt enim ista praeterita absoluta: contra posito διατρίβουσα et ἀπολαύουσα minus aptam sententiam hanc haberes „*quanquam diu commorabatur et — perfruebatur*," ut conjuncta essent arctius in unum; quae nunc commode sejuncta sunt. ibid. XI, 52. Victi Tarentini et Rhegini quum suam utrique urbem versus profugerent, etiam Japyges victores quum illos persequerentur in duas partes discessisse narratur in hunc modum: *οἱ μὲν οὖν*, inquit, *τοὺς Ταραντίνους διώξαντες ὀλίγου διαστήματος ὄντος πολλοὺς τῶν ἐναντίων ἀνεῖλον, οἱ δὲ τοὺς Ῥηγίνους διώκοντες ἐπὶ τοσοῦτον ἐφιλοτιμήθησαν, ὥστε συνεισπεσεῖν τοῖς φεύγουσιν εἰς τὸ Ῥήγιον καὶ τῆς πόλεως κυριεῦσαι.* Nos eadem varietate: *und die nun welche den Tarentinern* **nachgesetzt waren** *— machten viele von den Feinden nieder, die aber welche den Rheginern* **nachsetzten** *zeigten einen solchen Eifer, dass* etc. Postremum hoc ponamus ibid. I, 66, ubi de duodecim Aegyptiorum principibus narratur, qui condiderunt dodecarchiam: *ἐπ᾽ ἔτη δὲ πεντεκαίδεκα κατὰ τοὺς ὅρκους καὶ τὰ ὁμολογίας ἄρξαντες καὶ τὴν πρὸς ἀλλήλους ὁμόνοιαν διατηρήσαντες, ἐπεβάλοντο κατασκευάσαι κοινὸν ἁπάντων τάφον* i. e. „*Hi autem, qui annos quindecim — rempublicam administrarunt, commune sibi sepulcrum exstruere decreverunt.*" Sunt ista praeterita absoluta *ἄρξαντες* et *διατηρήσαντες*: quibus positis intelligitur, inserere ista scriptorem obiter de suo quasi extra cursum reliquae narrationis: quod quale sit, planius fiet comparata contraria ratione, si post *διατηρήσαντες* sequeretur *κατελύθησαν*. At praesens tempus *ἄρχοντες* et *διατηροῦντες* nobis etiam falsum videretur: nam ipsum quidem illud *ἐπιβαλέσθαι τάφον κατασκευάσαι* non potuit fieri, „*dum quindecim annos regnarent*," nam tale consilium, ut capiatur,

minime est tam longi temporis spatii. — His igitur, quae Hermannus congessit, exemplis nos alia nonnulla addamus, quibus aoristi participium male videri possit pro praesenti tempore positum esse. Plat. Protag. p. 177, 11. *ὁ δὲ μετὰ λόγου ἐπιχειρῶν κολάζειν — τιμωρεῖται — τοῦ μέλλοντος χάριν, ἵνα μὴ αὖθις ἀδικήσῃ μήτε αὐτὸς οὗτος μήτε ἄλλος ὁ τοῦτον ἰδὼν κολασθέντα*, *noch auch wer es sonst gesehen, dass dieser bestraft worden ist: κολαζόμενον* erat *dass dieser bestraft wurde.* Phaedr. p. 65, 15, ubi fabulam narrat Socrates elegantissimam de cicadarum origine, *ᾄδοντες ἠμέλησαν σίτων τε καὶ ποτῶν, καὶ ἔλαθον τελευτήσαντες αὐτούς*. Gorg. p. 88, 19. *εὐλαβεῖσθαι παρακελεύεσθε ἀλλήλους ὅπως μὴ πέρα τοῦ δέοντος σοφώτεροι γενόμενοι λήσετε διαφθαρέντες.* In his *λανθάνειν* verbum cum aoristo eodem modo compositum videtur, quo nobis nonnunquam neglecto discrimine dicere licet *ich wusste nicht wie mir geschehen war* pro *ich wusste nicht wie mir geschah.* Itaque altero loco *διαφθαρέντες* comparatum cum futuro *λήσετε* accipiendum puto pro futuro exacto, ut proprie sit, „*non sentietis, quomodo corrupti fueritis.*“ Prius autem *ἔλαθον τελευτήσαντες αὐτούς* nos quidem sic assequimur, *sie merkten es gar nicht wie ihr Ende gekommen war*, quum *τελευτῶντες* esset *wie ihr Ende kam.* Nec minus formulae *τί βουληθείς, τί ἐθελήσας* habent, quo differant a praesenti *τί βουλόμενος, τί ἐθέλων.* Plat. de Legg. I. p. 190, 21. *ποῖ δὴ τελευτᾷ νῦν ἡμῖν οὗτος ὁ λόγος, καὶ τί φανερόν ποτε ποιῆσαι βουληθεὶς λέγει ταῦτα;* Phileb. p. 165, 16. *Τί ποτε βουληθέντες εἰς τοῦτ' ἀφικόμεθα.* „*quid secuti*,“ i. e. proprie *postquam quid volueramus, quaesieramus:* quae dicta sunt ad similitudinem formularum *τί μαθών, τί παθών.* Compara porro Theaet. p.

291, 14. Σ. Τί εἰ ἐπιχειρήσαιμεν ἀναισχυντεῖν; Θ. Πῶς; Σ. ἐθελήσαντες εἰπεῖν ποῖόν τι ποτ' ἐστὶ τὸ ἐπίστασθαι. Sympos. p. 396, 18. τούτοις ἐπιστηθεὶς ἔρωτα ἐμποιῆσαι καὶ ὁμόνοιαν ὁ ἡμέτερος πρόγονος Ἀσκληπιός — συνέστησε τὴν ἡμετέραν τέχνην. Notabile etiam hoc est, Gorg. p. 44, 5. Οὐκοῦν ἀποδείξεις τοὺς ῥήτορας νοῦν ἔχοντας καὶ τέχνην τὴν ῥητορικὴν ἀλλὰ μὴ κολακείαν, ἐμὲ ἐξελέγξας. Minime enim cogitandum est de mutatione ἀποδείξας — ἐξελέγξεις. Heindorfius quidem §. 50. rursus ἐξελέγξας pro ἐξελέγχων positum dicit, pariter atque Euthyd. §. 27. εὖ ἐποίησας ἀπαλλάξας με σκέψεως πολλῆς dictum existimat pro εὖ ἐποίησας ἀπαλλάττων. Me si audis, ἐμὲ ἐξελέγξας esse putabis „*si me coargueris*“ i. e. „*si me arguere volueris:*“ proprie enim verba significant, *als einer der mich überführt habe*, s. *der mich überführt haben will, wirst du das und das zeigen müssen.* Denique confer ea loca, quae congessit Heindorfius ad Gorg. §. 80. τοὐναντίον δέ γε αὖ μεταβαλόντα etc. — Superest, ut explicemus Philebi locum incaute tractatum a Stallbaumio, p. 210, 20. ταῦτα δὲ τότε μὲν οὐκ ἐμαρτυράμεθα, νῦν δὲ λέγομεν, ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα διαφερομένης ἐν πᾶσι τούτοις πλήθει ἀμηχάνοις οὖσι μίξις μία λύπης τε καὶ ἡδονῆς ξυμπίπτει γενομένη. Stallbaumius invitis libris mss. omnibus scripsit γιγνομένη praesenti tempore, idque etiam nuper tuitus est. Comparasset fortasse, si ad manum fuissent, hujusmodi loca, de Rep. l. III. p. 138, 6. ὅτου ἂν ξυμπίπτῃ ἔν τε τῇ ψυχῇ καλὰ ἤθη ἐνόντα καὶ ἐν τῷ εἴδει ὁμολογοῦντα ἐκείνοις καὶ ξυμφωνοῦντα. Phileb. p. 193, 6. καὶ ὅταν μὲν ἀληθῆ γράψῃ, τοῦτο τὸ πάθημα δόξα τε ἀληθὴς καὶ λόγοι ἀπ' αὐτοῦ ξυμβαίνουσιν ἀληθεῖς ἐν ἡμῖν γιγνόμενοι. ibid. p. 193, 11. ὥςθ' ἡμῖν ξυμβαίνει τὸ προχαίρειν τε καὶ τὸ προλυπεῖσθαι περὶ τὸν μέλ-

λοντα χρόνον εἶναι γιγνόμενον. Menex. p. 383, 11. οὕτω γὰρ ξυμβαίνει ἅμα καὶ ἡ τῶνδε εὐγένεια κοσμουμένη. At ne his quidem et similibus quidquam efficeret. Nam illis locis quod recte est praesentis participium positum, minime eo evincitur, hoc loco aoristum falsum esse. Ego tueor cum Bekkero, quod codices praebent, γενομένη. In quo interpretando minime ad eam artem confugiendum puto, ut γενομένη aoristum positum dicam, quo significetur non id quod fiat, sed quod fieri soleat, quasi omisso ξυμπίπτει verbo scriptum esset ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα διαφερομένης — μίξις μία λύπης τε καὶ ἡδονῆς ἐγένετο: quam rationem qui defendat, viderit, ne dicendum fuerit ξυνέπεσεν. Sed ego γενομένη aoristum proprie positum arbitror quam fieri pòtest maxime. Poterat enim ortio sic institui: μίξις μία λύπης τε καὶ ἡδονῆς γίγνεται καὶ ξυμπίπτει: jam vero participio adhibito, quoniam recte dicitur mixtio prius fieri, quam fieri possit, ut in unum duae res coalescant, recte positum est et proprie μίξις γενομένη ξυμπίπτει, i. e. „*mixtio facta una utriusque rei coalescit.*“ Quod si quid insolentiae habere videtur, causa non quaerenda est in γενομένη aoristo, sed in singulari ratione, qua ipsa μίξις μία dicitur ξυμπίπτειν: quae ut minus insolenter componerentur, scribendum erat λύπη τε καὶ ἡδονὴ ἓν μικτὸν γενόμεναι ξυμπίπτουσιν „*dolor et voluptas unum mixtum factae i. e. in unum commixtae coalescunt.*“

Phileb. p. 138, 19. ed. Bekk. p. 14. ed. Steph.

> ὅταν τις ἑκάστου τὰ μέλη τε καὶ ἅμα μέρη διελὼν τῷ λόγῳ, πάντα ταῦτα τὸ ἓν ἐκεῖνο εἶναι διομολογησάμενος, ἐλέγχῃ καταγελῶν ὅτι τέρατα διηνάγκασται φάναι.

Aegre fero, quod Schleiermacherus, vir summe reve-

rendus, etiamnum tuetur cum Stallbaumio accusativum *διομολογησάμενον*. Mihi recte videtur Bekkerus servasse *διομολογησάμενος*, quam scripturam non tantum libri mss. omnes defendunt, sed etiam, ut puto, ipsa horum verborum ratio. Nam si accusativum velis, primum, id quod in priore ed. subtiliter notaverat Schleiermacherus, aegre carebis articulo *τόν*, quum persona, ad quam participium referatur, nulla tum memorata sit: quis enim ferat *ἐλέγχω τοῦτο λέγοντα*, nisi memoratus sit ipse *ὁ λέγων* ante, quum illud sit non *den*, *der*, sed *ihn wann er das sagt* *). Deinde

*) Magna in hoc genere opus est cautione, ne quid temere judicetur. Nam ad quae Stallbaumius provocat omissi *τίς* pronominis exempla collecta ab Hermanno et Matthiaeo, ista longe alius sunt generis. Quaeritur hic de participio, cui carenti articulo non est locus, nisi si refertur ad certam personam ante memoratam. Thucyd. II, 51. *καὶ οἰκίαι πολλαὶ ἐκενώθησαν ἀπορίᾳ τοῦ θεραπεύσοντος* nullo pacto scribi poterat *ἀπορίᾳ θεραπεύσοντος*. Plat. de Rep. l. VII. p. 345, 11. *τοῦ ἐπικρινοῦντος δὴ δέοι ἂν ἤδη*: dices haec hanc vim habere *es bedarf noch des Mannes, der entscheiden soll*. Recte tu hoc quidem. At si velis nostrum *eines Mannes, der entscheiden soll*, num putas dicere licere *δεῖ ἐπικρινοῦντος*. Hoc ego graece dici nego. Atque etiam si addas *ἀνδρός*, necessario praeponendus erit participio articulus, ut Menex. p. 379, 17. *ἀγαθοῦ ἂν ῥήτορος δέοι τοῦ πείσοντος*. Sophist. p. 204, 4. *οὐκ ἄλλων δέονται τῶν ἐλεγξόντων*: nam tenent Graeci in his eandem rationem, quam in huiusmodi oratione *ἀγαθὸν ῥήτορα δεῖ εἶναι τὸν πείσαντα*, ubi *πείσαντα* omisso articulo pariter absonum esset. Sine articulo ego in hoc genere nonnisi ea participia poni arbitror, quae sunt nominum substantivorum instar, eaque eodem, quo haec ipsa modo. Plat. Lys. p. 110, 13. *τοῦτο δὲ μοί πως ἐκ θεοῦ δέδοται, ταχὺ οἵῳ τ' εἶναι γνῶναι ἐρῶντά τε καὶ ἐρώμενον*, quocum compara *φίλους τε καὶ μὴ φίλους*. Sed Phaedr. p. 19, 8. *αὐτίκα περὶ οὗ ὁ λόγος, τίνα οἴει λέγοντα ὡς —, εἶτ' ἄλλ' ἄττα ἕξειν λέγειν* optime a Bekkero e codd. restitutum est pro eo, quod antea legebatur *τί*: est enim haec structura *τίς, λέγων ὡς —, εἶτ' ἄλλ' ἄττα ἕξει λέγειν*.

dictum oportebat ὁμολογήσαντα, non διομολογησάμενον: nam ubi tandem pro ὡμολόγει legisti διωμολογεῖτο? Contra διομολογησάμενος, quod recte scribitur, si praecessit: equidem contendo, facilius ferri, quod omissum est non tam objectum ad ἐλέγχῃ verbum, quod intransitive positum puto, quam subjectum ad διηνάγκασται, propterea quod alterius personae significatio quaedam inest in ipso διομολογεῖσθαι verbo, quod non dicitur nisi de communi duorum disputatione, qua aliquid inter eos conveniat. Nos: *wann einer vorher von einem jedweden die Glieder und zugleich deren Theile auseinander nimmt und sich verständiget dass dieses alles jenes eins sey, und dann mit Lachen überführend auftritt, dass er Wunderdinge genöthigt worden sey zu sagen.* Praeterea ego ne hoc quidem negligi velim, verba πάντα ταῦτα τὸ ἓν ἐκεῖνο εἶναι ita esse ἐπιδεικτικῶς dicta, ut qui recte eorum vim sentiat, non possit non ea cum Platoni τῷ ἐλέγχοντι tribuere.

Sed non inutile esse puto, pluribus exponere de verbo διομολογεῖσθαι. De cujus vi et usu quamvis satis existimes hodie constare, tamen supersunt, quae minus accurate a quibusdam perspecta videntur: nam *assentiri s. zugestehen*, ut h. l. interpretantur Stallbaumius et Schleiermacherus, nusquam significare censeo. Etenim simplex verbum ὁμολογεῖν quum sit *idem sentire cum aliquo*, jam hujus medium hanc vim induit, ut sit *efficere disputando ut idem sentias cum aliquo, convenire cum aliquo*, quod nos dicimus *sich gegenseitig verständigen.* Xenoph. Sympos. c. 4. §. 56. καὶ ὅς εἶπεν, ὁμολογησώμεθα πρῶτον, ποῖά ἐστιν ἔργα τοῦ μαστροποῦ. Quem locum quum meminerim tentari quondam a Ludov. Dindorfio, viro laudatissimo, qui ingeniose sane suadebat εἶπε διομολογησώμεθα; concedo, hujus verbi usum per-

rarum esse, sed duo certe loca suppeditare licet, quibus eum tueamur. de Rep. l. IV. p. 196, 16. *Ἔτι τοίνυν ἀκριβέστερον ὁμολογησώμεθα, μή πη προϊόντες ἀμφισβητήσωμεν.* et ibid. l. VIII. p. 377, 17. *ἵνα πάντας αὐτοὺς ἰδόντες καὶ ὁμολογησάμενοι τὸν ἄριστον καὶ τὸν κάκιστον ἄνδρα ἐπισκεψαίμεθα, εἰ* etc. Quae si et ipsa sine idonea causa corrupta judicare velis, *δι* syllabam errore obscuratam ratus per praecedens N: magnopere equidem defendi puto hoc *ὁμολογεῖσθαι* composito verbo, quod et ipsum perrarum est, *συνομολογεῖσθαι.* Euthyd. p. 410, 9. *συνωμολογησάμεθα τελευτῶντες οὐκ οἶδ᾽ ὅπως ἐν κεφαλαίῳ οὕτω τοῦτο ἔχειν* *).

Hujus igitur *ὁμολογεῖσθαι* praeter *συνομολογεῖσθαι* duo tantum me memini apud Platonem com-

*) Accipe haec de singulari usu passivi. Homo dicitur *ὁμολογεῖν τινι*, res *ὁμολογεῖσθαί τινι*, quasi *consentiri cum aliqua re.* de Rep. l. V. p. 320, 17. *τὸν λόγον αὐτὸν αὐτῷ ὁμολογῆσθαι.* Timaeo p. 24, 1. *ἐὰν — μὴ δυνατοὶ γιγνώμεθα πάντῃ πάντως αὐτοὺς αὑτοῖς ὁμολογουμένους λόγους καὶ ἀπηκριβωμένους ἀποδοῦναι.* Protag. p. 205, 20. *Δοκεῖ οὖν σοι, ἔφη, ταῦτ᾽ ἐκείνοις ὁμολογεῖσθαι.* Gorg. p. 76, 5. *Ἄτοπα μέν, ὦ Σώκρατες, ἔμοιγε δοκεῖ, τοῖς μέντοι ἔμπροσθεν ἴσως σοὶ ὁμολογεῖται*, ubi Heindorfius §. 80. etiam aliud e Cratylo exemplum attulit, quanquam non recte suspicatur de *σοί* pronomine, qui est dativus commodi ejus generis, quod in familiari sermone frequentissimum est. Referendum huc etiam videtur de Rep. l. VII. p. 193, 20. *κἂν μὲν ὁμολογῆται, καλῶς ἕξει*, ubi Fic. „*et si idem ibi constet, satis nobis erit factum.*" Addo locum alio modo memorabilem Critone p. 154, 16. *Οὐκοῦν ἐκ τῶν ὁμολογουμένων τοῦτο σκεπτέον.* Miror praetermissum esse a Buttmanno, esse h. l. *ὁμολογουμένων* positum pro *ὡμολογημένων*: quae quum longe differunt, quaeris, quo modo hic potuerint permutari. Scilicet est praesens tempus ita positum pro praeterito, ut solet in notissimis formulis *φαμέν, λέγομεν*: „*ex iis, quae in hac disputatione concedimus*" pro *quae supra concessimus.* Cf. de h. l. etiam Stallb.

posita legere, ἀνομολογεῖσθαι et διομολογεῖσθαι, quorum ab altero fit decompositum προδιομολογεῖσθαι Sophist. p. 178, 20.

Jam in διομολογεῖσθαι verbo composito quae ad simplex accedit particula διά, ejus eandem vim esse arbitror, quae observatur in verbis διέρχεσθαι, διεξιέναι et similibus: ut διομολογεῖσθαι sit quasi *sich über eine Sache durchverständigen*, i. e. *persequendo et perlustrando singulas alicujus rei partes et rationes efficere ut de ea conveniat.* Hinc explicandum puto, cur hujus compositi longe frequentior usus sit, quam simplicis ὁμολογεῖσθαι, nimirum quoniam fere in omni ejusmodi disputatione opus est ut singulas rei de qua quaeritur, partes diligenter persequaris. In interpretando autem hoc vocabulo caute versandum est. Et vernaculo quidem sermone, nisi διά particulae vim omittere volumus, ut dicamus *sich verständigen*, dicere licebit *sich im Einzelnen verständigen* aut cum Gallis *im Detail.* Latine dicentibus difficilius est vim verbi assequi: licebit praeterita tempora reddere *convenimus, convenit*: sed διομολογησώμεθα, διομολόγησαι, *fac, cura ut conveniat*: quamquam plerumque commodius erit *persequamur, perlustremus hoc*, sc. ut planum fiat, ut conveniat. Appono jam aliquot exempla, ut, si cui forte non statim plura ad manum sint, habeat quae cum nostra disputatione comparare possit. Theaet. p. 234, 3. *Εἰ μὲν τοίνυν αὐτὸς παρὼν ὡμολόγει, ἀλλὰ μὴ ἡμεῖς βοηθοῦντες ὑπὲρ αὐτοῦ ξυνεχωρήσαμεν, οὐδὲν ἂν πάλιν ἔδει ἐπαναλαβόντας βεβαιοῦσθαι· νῦν δὲ τάχ' ἂν τις ἡμᾶς ἀκύρους τιθείη τῆς ὑπὲρ ἐκείνου ὁμολογίας. διὸ καλλιόνως ἔχει σαφέστερον περὶ αὐτοῦ τούτου διομολογήσασθαι.* de Rep. l. VIII. p. 376, 11. *Ταῦτα μὲν δὴ ὡμολόγηται* —, *καὶ μὴν δὴ καὶ τάδε ξυνεχωρήσαμεν* —· *πρὸς δὲ ταῖς τοιαύ-*

ταις οἰκήσεσι καὶ τὰς κτήσεις, εἰ μνημονεύεις, διωμολογησάμεθά που οἷαι ἔσονται αὐτοῖς. ibid. l. III. p. 118, 17. Οὐκοῦν ἐὰν ὁμολογῇς ὀρθῶς με λέγειν, φήσω σε ὡμολογηκέναι ἃ πάλαι ἐζητοῦμεν. Ὀρθῶς, ἔφη, ὑπέλαβες. Οὐκοῦν περὶ ἀνθρώπων ὅτι τοιούτους δεῖ λόγους λέγεσθαι, τότε διομολογησόμεθα ὅταν εὕρωμεν οἷόν ἐστι δικαιοσύνη. Parmen. p. 84, 16. Euthyd. 414, 14. Sophist. p. 232, 22. p. 222, 7. p. 179, 8. Phileb. 132, 8. de Rep. l. I. 49, 7. l. III. p. 122, 17. l. V. p. 229, 2. l. VII. p. 349, 18. l. IX. p. 457, 21.; quo postremo loco nota mirum Ficini errorem, qui verba αὐτῷ διαλεγώμεθα interpretatur ad haec disseramus: est cum ipso loquamur cf. ibid. p. 459, 1. et p. 460, 1.

Praeterea primum moneo, passivi verbi διομολογεῖσθαι non usurpari nisi aoristum I. et praeteritum perfectum. Deinde in structura hujus verbi hoc notabile est, non addi solere personam, quacum aliquis conveniat: nusquam apud Platonem legi διομολογεῖσθαι τινί, ἀλλήλοις, πρός τινα, πρὸς ἀλλήλους, nec dicitur συνδιομολογεῖσθαι etsi usurpatur συνομολογεῖν et συνομολογεῖσθαι. Causam hanc esse puto, quod et *persequendi* s. *perlustrandi* notio verbo adhaeret, quae certe non fert dativum, et *communis disputationis* vis ei ita propria est, ut ubivis sponte intelligatur, convenire alicui cum altero aliquo. Qua in re cavendum est, ne quis se decipi patiatur hujusmodi locis Gorg. p. 118, 12. Ἴθι δή, ἃ καὶ πρὸς τούσδε ἐγὼ ἔλεγον διομολόγησαί μοι, εἴ ἄρα σοι ἔδοξα τότε ἀληθῆ λέγειν, ubi Fic. „*Age et illa, quae ad hos dicebam, mihi assentire, si modo visus tibi sum tunc vera loqui,*" et Schleiermacherus *Wohlan, auch darüber, was ich zu diesen sagte, erkläre dich mir, ob dich damals dünkte, dass ich recht hätte.* Potius interpretaberis: „*age, de illis etiam, quae ad hos dicebam, fac ut mecum*

conveniat, si modo tibi visus sum tum vera dicere." *Wohlan, auch über das, was ich zu diesen sagte, verständige dich mit mir, wenn ich dir anders* *) *damals recht zu haben schien.* de Rep. l. V. p. 259, 21. πάλιν μοι πρὸς τὴν τοιαύτην ἀπόδειξιν τὰ αὐτὰ διομολόγησαι, ubi Fic. *„haec ipsa mihi confirma:"* sed est hujus eadem ac superioris loci ratio. Sed quod moniturus eram, noli his locis ita abuti, ut διομολογεῖσθαι verbum cum dativo construi dicas: nam qui additus est μοί dativus, eum ita appositum puta imperativo, ut in formula ἴθι μοι, *„haec amplius mihi persequere:"* διομολόγησαι autem solum hanc vim habet *„fac ut mecum convenias,"* pariter atque διομολογησώμεθα solum est *„faciamus ut inter nos conveniat."* Denique, cave iisdem his locis putes defendi posse importunam in Philebo conjecturam διομολογησάμενον. Est enim τὸ διομολογεῖσθαι proprie omnino duorum, quorum communis est disputatio quare perrara sunt exempla **) singularis numeri διομολογησάμην, contra frequentissima sunt διομολογησώμεθα, διομολογησάμενοι, aut passive διωμολόγηται sc. *a nobis.* Quodsi unus dicitur διομολογεῖσθαι, id certe ubi impares sunt partes disputationis, proprie in eum cadit, ex quo omnis disputandi ratio pendet quique alteri persuadere studet; nam hic recte dicitur ita, cum altero rei, de qua quaeritur, rationem ipse persequi, ut conveniat qualis sit, vel disputando rem explanare et confirmare. Hujusmodi nostrum est in Philebo, cui geminum hoc

*) εἰ ἄρα hic ita positum est, ut de Rep. l. V. p. 268, 9. εἰ ἄρα μανθάνεις ὃ βούλομαι λέγειν τὸ εἶδος. Euthyd. 405, 15. εἰ ἄρα καὶ τετέλεσαι. Charmid. p. 331, 16. Οὐκοῦν ἄτοπον, εἰ ἄρα καὶ ἔστι;

**) Ego praeter haec duo imperativi nonnisi hoc e Philebo et alterum, quod adscripsi e Politia indagare potui.

est de Rep. l. X. p. 481, 10. *Τοῦτο τοίνυν διομολογήσασθαι βουλόμενος ἔλεγον ὅτι* etc. Contra alter, qui hujus disputationem sequitur, minus proprie dicitur *διομολογεῖσθαι*, qui potius *ὁμολογεῖ* i. e. concedit et assentit, si quid ab altero quaeritur ac disputatur. Quodsi illud comparas *διομολόγησαί μοι*, equidem id positum dixerim pro *διομολογησώμεθα* ita, ut solent apud Platonem, quae a Socrate disputantur, alteri qui respondet tribui, tanquam ab hoc disputata et inventa sint. Illorum igitur locorum, ubi jubetur ab auctore disputationis alter aliquid *διομολογεῖσθαι*, singularis est ratio, quae non cadit in nostrum Philebi locum, ubi qui scribi volunt per accusativum, debebunt opinor graviore mutatione *ὁμολογήσαντα* scribere.

Addo nonnulla de altero composito *ἀνομολογεῖσθαι*. In hoc *ἀνά* particula nonnunquam eandem vim habet atque in verbis *ἀναλαμβάνειν*, *ἀναλογίζεσθαι*, *ἀνακεφαλαιοῦν* *): ut *ἀνομολογεῖσθαι* sit

*) Hoc verbum non memini me legere apud Platonem, semel *κεφαλαιοῦσθαι*, de Rep. l. IX. p. 434, 20. *κεφαλαιωσώμεθα τοίνυν, ἦν δ' ἐγώ, τὸν κάκιστον*, sc. qualem esse diximus. Usurpat autem simili modo *κεφάλαιον* nomen. Euthyphr. p. 379, 6. Sympos. p. 435, 16. Gorg. p. 16, 3. *τὸ κεφάλαιον εἰς τοῦτο τελευτᾷ*. *Τὸ κεφάλαιον* absolute, ut *τοὐναντίον* similia, et Euthyphr. p. 366, 12. et cf. Stallb. ad Phil. p. 149. Heindorf. ad Gorg. §. 108.: qui tamen quod in his Gorg. p. 103, 21. *καὶ τούτων τοιούτων ὄντων κεφάλαιον, ὁ τῶν κιναίδων βίος οὗτος οὐ δεινὸς καὶ αἰσχρὸς καὶ ἄθλιος*; de Buttmanni conjectura dedit inserto articulo *καὶ τὸ τούτων*, admireris Bekkeri subtilitatem, qui id non admiserit librorum mss. auctoritati obsecutus: videtur enim hoc sensisse, quum Graecis pariter atque nobis utrovis modo liceat dicere, *was die Hauptsache* et *was eine Hauptsache ist*, huic Gorgiae loco unice convenire ut dicatur, *und was, wenn diess sich so verhält, ein Hauptstück ist, das Leben der Knabenschänder wird nicht schrecklich und schändlich*

ea, de quibus convenit, paucis repetere sich noch einmal in kurzem über etwas verständigen. Sympos. p. 424, 12. Ἴθι δή, φάναι τὸν Σωκράτη, ἀνομολογησώμεθα τὰ εἰρημένα. Erast. p. 292, 9. Οὐδὲν δή, ἔφην ἐγώ, ζητῶ ἄλλο ἢ ἀνομολογήσασθαι τὰ εἰρημένα. ἔχει δέ πως ὡδί. ὡμολογήσαμεν —· αὖθις δ' αὖ ὡμολογήσαμεν etc. Quibuscum compara Protag. p. 198, 1. Ἴθι δή, ἦν δ' ἐγώ, ἀναλογισώμεθα τὰ ὡμολογημένα ἡμῖν: ubi non mirum, quod unus liber ms. habet ἀνομολογησώμεθα. Sympos. 421, 12. Ἔτι τοίνυν, φάναι, ὦ Φαῖδρε, πάρες μοι Ἀγάθωνα σμικρ' ἄττα ἐρέσθαι, ἵνα ἀνομολογησάμενος παρ' αὐτοῦ οὕτως ἤδη λέγω. In his scribendum quondam opinabar ἀνομολογησάμενος τὰ παρ' αὐτοῦ. Vulgatam scripturam confirmant codd. omnes: quam interpretor, *nach dem ich mich seiner seits (i. e. mit ihm) noch einmal kürzlich verständigt habe:* denuo enim tractatur a Socrate et Agathone sequente disputatione pars eorum, quae modo exposuerat. Agatho, ut efficiatur, Amorem nec pulcrum esse nec bonum. Quanquam vereor, ne hic quidem locus in eo potius genere habendus sit, de quo statim dicam. Usurpatur enim ἀνομολογεῖσθαι etiam ita, ut tantillum differre videatur a simplici ὁμολογεῖσθαι: quanquam ego hoc interesse puto, ut ὁμολογεῖσθαι sit simpliciter *sich verständigen*, ἀνομολογεῖσθαι *eine Sache überschlagend, überdenkend sich verständigen*, διομολογεῖσθαι *eine Sache durchgehend, durchnehmend sich verständigend.* de Rep. l. I. p. 44, 13. ἂν δὲ ὥσπερ ἄρτι ἀνομολογούμενοι πρὸς ἀλλήλους σκοπῶμεν, ἅμα αὐτοί τε

---

und unselig sein. Ὡς ἐν κεφαλαίῳ εἰπεῖν Sympos. p. 396, 7. Hipp. Min. p. 205, 13. Ἐν κεφαλαίῳ οὕτως ἔχει Euthyd. p. 410, 10. De Rep. l. IX. p. 448, 21. μάλιστ' ἂν εἰς ἓν κεφάλαιον ἀπερειδοίμεθα τῷ λόγῳ

δικασταὶ καὶ ῥήτορες ἐσόμεθα. ibid. l. IV. p. 208, 17. *Οἷον εἰ δέοι ἡμᾶς ἀνομολογεῖσθαι περί τε ἐκείνης τῆς πόλεως* etc. ibid. p. 222, 7. *Ἆρ' οὖν οὐ πρῶτον μὲν τοῦτο περὶ αὐτῶν ἀνομολογητέον, εἰ δυνατὰ ἢ οὔ;* Eandem vim *ἀνά* particula habet in verbo *ἀνασκέπτεσθαι* *), quod proprie positum est Theaet. p. 180, 8. Cratyl. p. 15, 5. *Ἴθι δὴ ἐπίσκεψαι, ποῖ βλέπων ὁ νομοθέτης τὰ ὀνόματα τίθεται; ἐκ τῶν ἔμπροσθεν δὲ ἀνάσκεψαι.* de Rep. l. X. p. 512, 1. *ὑπὸ ἀφροσύνης τε καὶ λαιμαργίας οὐ πάντα ἱκανῶς ἀνασκεψάμενον ἑλέσθαι.* et eodem modo *ἀνασκοπεῖν* Tim. p. 103, 11. *τό γε μὴν εἰκὸς ἡμῖν εἰρῆσθαι, καὶ νῦν καὶ ἔτι μᾶλλον ἀνασκοποῦσι διακινδυνευτέον τὸ φάναι καὶ πεφάσθω.* — Nec vero ullum habeo certum locum, quo *ἀνομολογεῖσθαι* sit *„retractare ea, de quibus convenit" sich eines andern verständigen* **): nisi forte huc referendus

---

*) Ab hoc *διασκέπτεσθαι* eodem modo differt, quo *διομολογεῖσθαι* ab *ἀνομολογεῖσθαι* de Rep. l. I. p. 50, 2. *Τοῦτο τοίνυν ἐρωτῶ ὅπερ ἄρτι, ἵνα καὶ ἑξῆς διασκεψώμεθα τὸν λόγον* etc. adde Protag. p. 223. *Συνδιασκέπτεσθαι* est Protag. p. 224, 2.

**) Hanc vim in *ἀνά* particula inesse in tribus verbis *ἀνεύχεσθαι, ἀναρᾶσθαι, ἀναδιδάσκειν*, docuit Valckenarius ad Herod. l. VIII, 63., ad quem provocat Heindorfius Gorg. l. l. Idem apte affert latinum *resecrare* apud Cornel. Nep. Alcib. c. 6., quod prorsus est formatum, ut *retractare*. Est enim in illis *ἀνά* particulae eadem vis atque latinae *re* et nostri *zurück* aut *wieder* in verbis *zurücknehmen*, *widerrufen* (quod plerumque scribitur *wiederrufen*), *wieder ändern* similibus: quibuscum comparanda est etiam *αὖ* particula *rursus* pro *contra* posita. Comparemus alia quaedam de eodem genere. Crebro ita usurpatur *ἀνατίθεσθαι*, quasi *posita reponere* i. e. retractare. Protag. p. 234. *ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν ἀναθέσθαι ἔξεστιν, εἴ πῃ ἔχεται ἄλλο τι φάναι εἶναι τὸ ἀγαθὸν ἢ τὴν ἡδονήν,* ubi recte Fic. *at nunc etiam retractare licet.* Charmid. p. 324, 16. *ἀλλ' εἴ τί σοι οἴει ἐκ τῶν ἔμπροσθεν ὑπ' ἐμοῦ ὡμολογημένων εἰς τοῦτο ἀναγκαῖον εἶναι συμβαίνειν, ἐκείνων ἄν τι ἔγωγε μᾶλλον ἀναθείμην.* Gorg.

est hic locus Theaet. p. 223, 8. Ἀντιλογικῶς ἐοίκαμεν πρὸς τὰς τῶν ὀνομάτων ὁμολογίας ἀνομολο-

---

p. 33, 14. καὶ ἐγὼ ἐθέλω τῶν ὡμολογημένων εἴ τί σοι δοκεῖ μὴ καλῶς ὡμολογῆσθαι, ἀναθέσθαι ὅτι ἂν σὺ βούλῃ. Phaed. p. 64, 9. ὅτι μὲν γὰρ ἦν ἡμῶν ἡ ψυχὴ καὶ πρὶν εἰς τόδε τὸ εἶδος ἐλθεῖν, οὐκ ἀνατίθεμαι μὴ οὐχὶ πάνυ χαριέντως ἀποδεδεῖχθαι: ubi etiam Heindorfius comparat Men. p. 367, 19. τὸ μὲν γὰρ διδακτὸν αὐτὸ εἶναι - οὐκ ἀνατίθεμαι μὴ οὐ καλῶς λέγεσθαι. Et maxime memorabilis est Hipparchi locus p. 240, 16. Ἀλλὰ μὴν καὶ ὥσπερ πεττεύων ἐθέλω σοι ἐν τοῖς λόγοις ἀναθέσθαι ὅτι βούλει τῶν εἰρημένων, ἵνα μὴ οἴῃ ἐξαπατᾶσθαι: quam loquendi formam quod Heindorfius ductam ibi putat e Phaedonis l. l. §. 88., satius erat dicere, imitatorem simplex ἀνατίθεσθαι a Platone usurpatum exornasse: id quod simili modo fecit Minois auctor p. 256, 15. Ετ. Ἐπειδὰν δ' ἐννοήσω ὅτι οὐδὲν παυόμεθα ἄνω κάτω μετατιθέμενοι τοὺς νόμους, οὐ δύναμαι πεισθῆναι. Σ. Ἴσως γὰρ οὐκ ἐννοεῖς ταῦτα μεταπεττευόμενα ὅτι ταὐτά ἐστιν. — Porro huc referendum est Ἀναπείθειν *eines andern überreden.* Luculentum habes exemplum Gorg. p. 100, 6. τῆς δὲ ψυχῆς τοῦτο ἐν ᾧ αἱ ἐπιθυμίαι εἰσὶ τυγχάνει ὂν οἷον ἀναπείθεσθαι καὶ μεταπίπτειν ἄνω κάτω: quo loco quod Heindorfius monet, Platonem usurpare plerumque ἄνω καὶ κάτω, hic quidem cum optimis libris Bekkerus copulam omisit: sed praeter Theaeteti locum ab Heindorfio allatum cf. Protag. p. 247, 10. et Theaet. p. 199, 20, ubi ἄνω κάτω habent codd. omnes: item omissa copula plerique et optimi Gorg. p. 83, 8. et omnes praeter unum Min. p. 356, 13. Praeterea ἀναπείθειν eodem modo positum videtur Hipp. Min. p. 216, 15. ἀλλὰ καὶ αὐτὰ ταῦτα ὑπ' εὐηθείας ἀναπεισθεὶς πρὸς τὸν Αἴαντα ἄλλα εἶπεν ἢ πρὸς τὸν Ὀδυσσέα, ubi etiam Fic. „*aliter persuasus.*" ibid. p. 213, 13. ὀλίγον ὕστερον λέγει ὡς οὔτ' ἂν ἀναπεισθείη ὑπὸ τοῦ Ὀδυσσέως etc. Hipp. Maj. p. 460, 19. ἐπειδὰν δὲ αὖ ἀναπεισθεὶς ὑφ' ὑμῶν λέγω ἅπερ ὑμεῖς etc. Theaet. p. 278, 5. ἄλλον δέ τινα οἴει ὑγιαίνοντα ἢ μαινόμενον σπουδῇ πρὸς ἑαυτὸν εἰπεῖν, ἀναπείθοντα αὐτὸν, ὡς ἀνάγκη τὸν βοῦν ἵππον εἶναι ἢ τὰ δύο ἕν. — Nec dubito, quin similem ἀνά particula vim habeat in Ἀναφαίνεσθαι verbo, ubi ita usurpatur, ut aliquid aliter apparuisse aut evenisse significetur atque exspectatum erat. Gorg. p. 82, 9. ἐὰν δέ γε, οἶμαι, φύσιν ἱκανὴν γένηται ἔχων ἀνήρ —, ἐπαναστὰς ἀνεφάνη δεσπότης ἡμέτερος ὁ δοῦλος. ibid. p. 151, 17. σὺ δὲ

γησάμενοι καὶ τῳ οὕτῳ τινι περιγενόμενοι τοῦ λόγου ἀγαπᾶν. De singulari usu formulae ἀνομολογούμενόν τι ἐστιν. v. Heind. ad Gorg. §. 108.

Phileb. p. 152, 10. ed. Bekk. p. 21. ed. Steph.

Μήπω τοίνυν μαλθακιζώμεθα, τὸν δὲ τοῦ νοῦ μεταλαβόντες αὖ βίον ἴδωμεν.

ὡμολόγεις τῶν γε νῦν οὐδένα (sc. ἄνδρα ἀγαθὸν γεγονέναι τὰ πολιτικὰ ἐν τῇδε τῇ πόλει), τῶν μέντοι ἔμπροσθεν, καὶ προσείλου τούτους τοὺς ἄνδρας (sc. Θεμιστοκλέα, Μιλτιάδην)· οὗτοι δὲ ἀνεφάνησαν ἐξ ἴσου τοῖς νῦν ὄντες. Theaet. p. 206, 17. τότε τινι ξυνελθὸν καὶ ποιοῦν ἄλλῳ αὖ προςπεσὸν πάσχον ἀνεφάνη. de Rep. l. VI, p. 280, 7. ἡγοῦνται δι' ἀπειρίαν τοῦ ἐρωτᾶν τε καὶ ἀποκρίνεσθαι ὑπὸ τοῦ λόγου παρ' ἕκαστον τὸ ἐρώτημα σμικρὸν παραγόμενοι, ἀθροισθέντων τῶν σμικρῶν ἐπὶ τελευτῆς τῶν λόγων μέγα τὸ σφάλμα καὶ ἐναντίον τοῖς πρώτοις ἀναφαίνεσθαι. — Quodammodo etiam huc referenda videntur Ἀναμάχεσθαι τὸν λόγον v. Heind. ad Hipp. Maj. §. 15. et Ἀναδύεσθαι τὰ ὡμολογημένα v. Heind. ad Theaet. §. 8. — Ceterum si cum ἀναπείθειν comparans μεταπείθειν verbum (de Rep. l. III. p. 131, 16. et ibid. p. 157, 8.) negare omnino in animum inducas, ἀναπείθειν illo quo diximus modo a Graecis usurpatum esse faciet, ut cautius judices comparatio verbi ἀνατίθεσθαι cum μετατίθεσθαι, quod ab illo plerumque ita differt ut non tam sit, id omne, quod dixeris, retractare, quam partem sententiae mutare. de Rep. l. I. p. 18, 7 et 11. ἀλλὰ μεταθώμεθα· κινδυνεύομεν γὰρ οὐκ ὀρθῶς τὸν φίλον καὶ ἐχθρὸν θέσθαι. — Νῦν δὲ πῶς, ἦν δ' ἐγώ, μεταθώμεθα. ibid. p. 39, 4. ἀλλὰ πρῶτον μὲν, ἃ ἂν εἴπῃς, ἔμμενε τούτοις, ἢ ἐὰν μετατιθῇ, φανερῶς μετατίθεσο καὶ ἡμᾶς μὴ ἐξαπάτα. Theaet. p. 292, 22. ἡμεῖς τοίνυν σμικρὸν μεταθώμεθα καὶ εἴπωμεν ἐπιστήμης κτῆσιν. Cratyl. p. 5, 11. καὶ ἂν αὖθις γε ἕτερον (sc. ὄνομα) μεταθῆται et cf. Heind. ad Gorg. §. 105. — Quanquam tenendum est, in plerisque verbis alterutram tantum harum particularum et potissimum μετά illam mutandi vim addere. Veluti verbo ἀναδιδάσκειν respondet μεταμανθάνειν de Rep. l. III, p. 156, 18: nusquam ἀναδοξάζω, sed μεταδοξάζω Sophist. p. 234, 17.: neque illo modo usquam dicitur ἀναλαμβάνειν, sed μεταλαμβάνειν.

Scripserat Stallbaumius audacter *μεταβαλόντες* pro *μεταλαβόντες*: id nuper retractavit in Appendice comparato hoc uno loco Politici p. p. 246, 18. *διαναπαύσωμεν αὐτὸν μεταλαβόντες αὐτοῦ τὸν συγγυμνάστην τόνδε Σωκράτη*. Accipe ad defendendam integerrimam scripturam plura. Timaeo p. 21, 1. *καὶ τίν᾽ ἄν, ὦ Κριτία, μᾶλλον ἀντὶ τούτου μεταλάβοιμεν*. de Rep. l. IV. p. 192. 7. *τέκτων σκυτοτόμου ἐπιχειρῶν ἔργα ἐργάζεσθαι ἢ σκυτοτόμος τέκτονος, ἢ τὰ ὄργανα μεταλαμβάνοντες τἀλλήλων ἢ τιμάς* etc. Protag. p. 235, 18. *ἄλλο γὰρ ὄνομα μετείληφεν ἀντὶ τῆς ἡδονῆς τὸ ἀγαθόν*. ibid. p. 236, 13. *μεταλάβωμεν δὴ τὰ ὀνόματα πάλιν τὸ ἡδύ τε καὶ ἀνιαρὸν ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς τούτοις*. ibid. p. 238, 4. *ἡ αὐτὴ μὲν ἡμᾶς ἐπλάνα καὶ ἐποίει ἄνω τε καὶ κάτω πολλάκις μεταλαμβάνειν ταὐτά*. Theaet. p. 240, 19. *ὥσπερ ἡμεῖς νυνὶ τρίτον ἤδη λόγον ἐκ λόγου μεταλαμβάνομεν*. Thucyd. l. I. 120. *διόπερ καὶ μὴ ὀκνεῖν δεῖ αὐτοὺς τὸν πόλεμον ἀντ᾽ εἰρήνης μεταλαμβάνειν*.

Phileb. p. 156, 22. ed. Bekk. p. 23. ed. Steph.
Λάβωμεν ἄττα τῶν νῦν δὴ λόγων.

Stallbaumius unice verum putat, quod de conjectura scripsit *ἀναλάβωμεν*. Idem judicat Schleiermacherus. Nobis prudenter Bekkerus tuitus esse videtur vulgatum *λάβωμεν*. Quum enim et e sequentibus et ex his ipsis *ἄττα τῶν νῦν δὴ λόγων* satis appareat, de plena ac propria *τῶν ἔμπροσθεν ὡμολογημένων ἀναλήψει* minime cogitandum esse, nullam omnino video necessitatem, qua simplicissimam orationem mutare cogamur. Interpretor, *nehmen wir einiges des eben gesagten*, *sumamus quaedam eorum, quae modo disputata sunt*, i. e. sumamus, quae in hac disputatione sequamur, quorum ad normam divisionem illam faciamus. Praestare enim videtur haec ratio altera,

quae forte cuipiam in mentem veniat; ut interpretetur „consideremus," idem videlicet valere ratus λαμβάνειν, quod alias est λόγῳ λαμβάνειν, de quo usu dixit Stallbaumius ad §. 21. — Atque in hoc verbo Stallbaumius etiam duobus aliis locis errasse videtur. P. 178, 23. ed. Bekk. p. 95. ed. Stallb. Μνήμην, ὡς ἔοικεν, ἅ τί ποτ᾽ ἐστι, πρότερον ἀναληπτέον. Conjecerat ille male παραληπτέον: nunc servari posse concedit vulgatam scripturam, si interpreteris „in memoriam revocandum est." Mea sententia ἀναλαμβάνειν hic significat, quod jam occupatum video a Schleiermachero, *vornehmen*: cujus significationis unum est certissimum exemplum Apolog. p. 99, 16., quod Stallbaumius etiam in nupera ejus libelli editione plane neglexit, ἀναλαμβάνων οὖν αὐτῶν τὰ ποιήματα — διηρώτων ἄν, cui ex asse respondet nostrum *ich nahm ihre Gedichte vor.* Adde, quod et ipsum virum diligentissimum, qui sibi esse videtur, prorsus fugit: nam ne verbo quidem de eo in commentariis ad hunc sermonem lectorem monet, Menone p. 364, 4. σκεψώμεθα δὴ καθ᾽ ἕκαστον ἀναλαμβάνοντες, ποῖά ἐστιν ἃ ἡμᾶς ὠφελεῖ, *einzeln vornehmend.* Praeterea Politico p. 254, 23. Τὸ μὲν τοίνυν αὐτῶν παραλίπωμεν, τὸ δ᾽ ἀναλάβωμεν, ubi verba παραλιπεῖν et ἀναλαβεῖν eodem modo differunt quo nostra *bei Seite lassen* et *vornehmen*, de Rep. l. X. p. 488, 13. Οὐκοῦν ὅταν Ὁμήρου ἐπαινέταις ἐντύχῃς, λέγουσιν ὡς τὴν Ἑλλάδα πεπαίδευκεν οὗτος ὁ ποιητὴς καὶ (sc. ὡς) πρὸς διοίκησίν τε καὶ παιδείαν τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἄξιον ἀναλαβόντι μανθάνειν etc. Ad ἀναλαβόντι mente addito αὐτὸν i. e. αὐτοῦ τὰ ποιήματα sententiam hanc esse puta: *und dass es der Mühe werth sei ihn vorzunehmen und von ihm für Einrichtung und Veredlung der menschlichen Verhältnisse zu lernen.* Timaeo p. 19, 13. ἐνενόησα οὖν ὅτι χρεὼν εἴη με πρὸς ἐμαυτὸν πρῶτον ἱκανῶς

πάντα ἀναλαβόντα λέγειν οὕτως: nam πρὸς ἑαυτὸν πρῶτόν τι ἀναλαβεῖν prorsus est nostrum *erst eine Sache für sich vornehmen*, sc. priusquam de ea coram aliis exponere audeas. — Alter locus, quem frustra tentatum puto, est Phileb. p. 242, 28. *Οὐκοῦν ἔγωγε οὐδα, ὦ Σώκρατες, ὅ τί τις ἂν βλάπτοιτο πάσας λαβὼν τὰς ἄλλας ἐπιστήμας, ἔχων τὰς πρώτας.* Stallbaumius p. 211. offensus verbo λαβών conjectabat παραλαβών, de qua opinione nihil monuit in Appendice. Ego nihil prorsus video difficultatis. Est λαβεῖν simpliciter „*accipere.*“ „*Ego*, inquit Protarchus, *non video, quid noceat omnes accipere reliquas* ἐπιστήμας, *si quis habeat primas.*“ Ac si composito verbo scriptori placuisset uti, certe προςλαβών opinor scripsisset, non παραλαβών.

Phileb. p, 220, 22. ed. Bekk. p. 52. ed. Steph.

Ταύτας τοίνυν τὰς τῶν μαθημάτων ἡδονὰς ἀμίκτους τε εἶναι λύπαις ῥητέον etc.

Stallbaumius contra optimorum et plurimorum librorum mss. auctoritatem dedit ἀμίκτους λύπης, scilicet ut „*usum Platonis*“ tueretur. Mireris magnam profecto negligentiam hujus viri, qui prorsus neglexerit, quod in eodem Philebo, quem tanta diligentia se pertractasse profitetur, paullo post occurrit p. 238, 16. ed. Steph. p. 60. med. *Οὐκοῦν τῷ λόγῳ ἐπειράθημεν χωρὶς ἑκάτερον ἑκατέρου θέντες εἰς τὸν βίον ἑκάστων, ἄμικτον μὲν ἡδονὴν φρονήσει, φρόνησιν δὲ ὡσαύτως ἡδονῆς μηδὲ τὸ σμικρότατον ἔχουσας;* ubi ne verbo quidem tentavit illa *ἄμικτον μὲν ἡδονὴν φρονήσει.* Ac praeterea opportune se nobis obtulit hoc Polit. p. 368, 21. ed. Steph. p. 310. s. fin. *ἀνδρία — ἄμικτος γεννωμένη σώφρονι φύσει.* Omnino magna cautione opus est in judicandis verborum constructionibus iis, quae etsi rarae sunt, at nec ratione

carent et simili similium verborum usu firmantur. Notum est, quomodo dicatur ἔχεσθαί τι τινος. Itaque quum primum legerem Gorg. p. 108, 20. Τί ἀποκρινεῖ, ἐάν τίς σε τὰ ἐχόμενα τούτοις ἐφεξῆς ἅπαντα ἐρωτᾷ, corrigendum esse suspicabar τὰ ἐχόμενα τούτων aut τὰ ἑπόμενα τούτοις: nam ἔχεσθαί τινι nonnisi idem quod ἔχεσθαι ἔν τινι significare putabam, ut in tritissimis locutionibus ἔχεσθαι ἀπορίᾳ, ἀνάγκῃ. Sed mox offendi similem locum hunc Polit. p. 277, 1. τὸ γὰρ ἐντεῦθεν, οἶμαι, χρὴ ξυννοεῖν. ἐχόμενον γάρ ἐστι τῷ τοὺς πρεσβυτέρους ἐπὶ τὴν τοῦ παιδὸς ἰέναι φύσιν etc. Denique unice firmari intellexi hanc structuram simillimo ἑξῆς particulae usu, quae quidem eandem omnino vim haberet atque ἔχεσθαι medium, a quo ducta est, uno hoc discrimine, quo illa adverbii, haec verbi forma esset: est enim ἑξῆς quasi ἐχομένως. Cujus particulae cum genitivo constructio quum sit frequentissima, ut de Rep. l. III. p. 114, 6. καὶ τὰ τούτων ἑξῆς, ubi praecedit v. 1. καὶ τὰ τούτων ἐχόμενα, Phileb. p. 199, 11. τούτων τοίνυν ἑξῆς ὀψόμεθα, et alias sexcenties: eadem, quod falso negat fieri apud Atticos scriptores Passovius in Lexico gr., construitur etiam cum dativo, de Rep. l. VII. p. 351, 11. νῦν δὴ γὰρ οὐκ ὀρθῶς τὸ ἑξῆς ἐλάβομεν τῇ γεωμετρίᾳ. Euthyd. p. 426, 12. ὅθεν γὰρ τὸ πρόσθεν ἀπέλιπον, τὸ ἑξῆς τοῦτο πειράσομαι, ὅπως ἂν δύνωμαι, διελθεῖν. Cratyl. p. 37, 8. ὥσπερ τοίνυν μοι δοκεῖ τούτοις ἑξῆς εἶναί τι χρῆμα. Clitoph. p. 478, 18. καὶ τἄλλα πάντα οἷον με νῦν οὕτως εἰρηκέναι τὰ τούτοις ἑξῆς. — Monent autem, quae de ἔχεσθαι verbi usu disputavimus, ne praeteream hunc locum, Polit. p. 278, 4. ἄλλα θ' ὅσα τῆς τοιαύτης ἐστὶ κατὰ κοσμήσεως ἑπόμενα, μορί' ἂν εἴη λέγειν. Levissimi fuerit hominis corrigere ἐχόμενα, ut Theaet. p. 262, 4. καὶ τἄλλα ὅσα τούτοις ἕπεται et sexcenties alias. Prudenter Bekkerus tuitus est codd.

scripturam: pendet enim genitivus non e notione τοῦ ἕπεσθαι, quasi dicere liceat ἕπεσθαί τινος, sed regitur a participio, quod substantivi instar positum est, quoniam ὅσα ἐστὶν ἑπόμενα idem est quod πάντα τὰ ἑπόμενα. Cf. de Rep. l. I. p. 25, 13. τὸ τοῦ κρείττονος ξυμφέρον. ibid. p. 26, 14. τὸ τῆς καθεστηκυίας ἀρχῆς ξυμφέρον. Polit. p. 332, 19. τὸ τῆς νεὼς καὶ τῶν ναυτῶν ξυμφέρον. Denique ad illustrandam hanc constructionem compara: *quod hujus rei consequens est.* — Addimus aliud exemplum de Rep. l. IX. p. 441, 13. Ἔστιν ἄρα τῇ ἀληθείᾳ, κἂν εἰ μή τῳ δοκῇ, ὁ τῷ ὄντι τύραννος τῷ ὄντι δοῦλος τὰς μεγίστας θωπείας καὶ δουλείας καὶ κόλαξ τῶν πονηροτάτων. Monet Astius, scribendum fortasse esse τῆς μεγίστης; aliis placuerit fortasse δοῦλος ταῖς μεγίσταις θωπείαις καὶ δουλείαις. At mihi quidem analogiam, quam vocant, respicienti minime dubium est, quin Graeci eodem prorsus sensu usurpaverint hoc δοῦλος δουλείαν, quo tritissimum illud δουλεύειν δουλείαν. Cf. Tim. p. 61, 5. ὡς οὐκ ἂν ἄλλως ἐκτυπώματος ἔσεσθαι μέλλοντος ἰδεῖν ποικίλον πάσας ποικιλίας, ubi ποικίλος ποικιλίαν eodem modo dictum vides quo ποικίλλειν ποικιλίας. Tim. p. 41, 5. πέντε κινήσεις ἀκίνητον. de Rep. l. VI. p. 296, 11. κακοὺς πᾶσαν κακίαν. Quod autem conjuncta sunt loco supra posito δοῦλος τὰς μεγίστας θωπείας, est id quidem potissimum ideo factum, quod in unum fere comprehendenda sunt θωπείας καὶ δουλείας: at etiamsi δοῦλος πᾶσαν θωπείαν insolens sit, tamen non dubitaverim recte dici in verbo δουλεύειν πᾶσαν θωπείαν. Nam minime opus est nomen id, quod accusativo casu isto modo additur, ejusdem atque verbum originis esse, modo similem vim habeat: neque enim tantum dicitur κινεῖσθαι κίνησιν, sed etiam in hunc modum μίαν φορὰν κινεῖται Polit. p. 273, 18. στρέφεσθαι διττὰς καὶ ἐναντίας περιαγωγάς ibid. p. 274, 3. στρεφόμε-

νον — τὴν αὐτὴν φοράν de Rep. l. X. p. 507, 20. In quo genere perraro adhibetur dativus, ut de Rep. l. IX. p. 453, 6. *χαίρειν — ἡδονῇ ἀληθεῖ*, quod eodem sensu dictum est atque *ἥδεσθαι ἡδονὴν ἀληθῆ*, ut Phileb. p. 243, 22. et p. 250, 1. et 2. dicitur *ἥδεσθαι πάσας ἡδονάς*, *ἥδεσθαι ἡδονὰς τὰς μεγίστας*.

Sed plura ex Adversariis nostris in Platonem depromere quum nunc non liceat per temporis angustias, quibus in hac dissertatione edenda premimur, — eademque causa ignoscere nobis cupimus aequos arbitros, si quam in scribendi genere deprehenderint negligentiam, quam quum ipsi multis locis senserimus, non potuimus tamen in summa brevitate temporis quaecunque in schedulis aliquot abhinc annis levius compositis nunc displicerent, corrigere —: nolumus certe, quae commode se forte offert, occasionem praetermittere a Platone nostro redeundi ad Horatium, a quo profecti sumus.

Occurrit enim schedulas quasdam nostras perlustranti haec adnotatiuncula ad verba Platonis de Rep. l. VIII, p. 400, 8. ed. Steph. p. 556. *πολλάκις ἰσχνὸς ἀνὴρ πένης, ἡλιωμένος, παραταχθεὶς ἐν μάχῃ πλουσίῳ, ἐσκιατροφηκότι, πολλὰς ἔχοντι σάρκας ἀλλοτρίας*, *ἴδῃ* (praecessit *ὅταν*) *ἄσθματός τε καὶ ἀπορίας μεστόν*. Quaeris mecum, quae sint *σάρκες ἀλλότριαι*? Vides, divitem *πολλὰς σάρκας ἀλλοτρίας ἔχοντα* opponi pauperi *ἰσχνῷ*: puta igitur, pauperis macritudinem comparari cum divitis carne crassa ac pingui. Pinguedinis autem significatio quomodo fieri potest appellata *carne aliena*? Nimirum latet opinor in hac dicendi ratione comparatio quaedam, quae subest, eorum quae secundum et quae praeter naturam fiunt, ita ut, quae in sano corpore hominis frugaliter viventis caro crescat, eam, quoniam

quasi sponte nata neque aliunde acquisita videatur, cogitetur ipsius propriam esse: cui jam opponitur *caro aliena* ea, quae non sponte nata sed quasi aliunde praeter naturae rationem acquisita est lauto nimis et luxurioso victu, praeterea mollitie et segnitie. Erit igitur caro illa aliena nimia caro, tumida et *inflata*, quae ita rectae corporis valetudinis modum excedat, ut vix ad ipsum corpus, in quo post, pertinere, sed quasi aliunde arte quadam assumta esse videatur. Sed quid haec ad Horatium? Meministi, lector, cum procorum apud Homerum *γελώντων γναθμοῖσιν ἀλλοτρίοισιν*. Odyss. *Υ.* v. 347., tum quem Horatius Serm. II, 3, 72. memorat hominem *malis ridentem alienis*. Collige igitur mecum, si ista quam dedimus Platonis verborum explicatio tibi probata est, et apud Homerum *γναθμοὺς ἀλλοτρίους* et apud Horatium *malas alienas* non alias esse quam crassitudine et pinguedine elatas et tumidas, quae sunt quas nos appellamus *feiste Backen, Bausbacken*. Quod si verum est, neque apud Homerum illud *γναθμοῖσιν ἀλλοτρίοισιν*, neque apud Horatium illud *malis alienis* pertinebit ad singularem quendam ridendi modum indicandum, sed eo modo additum erit ad ridendi verbum, quo nos usurpamus nostrum, *wie lachte er mit seinen feisten Backen*. Hoc autem concedes, quadrare hanc rationem egregie in utrumque locum: nam cum sponsis Penelopae nebulonibus apud Homerum omnino conveniunt pingues illae malae, tum ab Horatio callido debitori singulari facetia persona induta est hominis pinguis et crasi. Magis certe haec ratio nobis placet, quam quas alias alii ad utrumque locum proposuerunt interpretes. Et apud Homerum quidem certe minime necessarium est addi, cujusmodi procorum risus fuerit: quem quum et magnum fuisse jam significatum sit verbis praecedd. *μνηστῆρσι δὲ Παλλὰς Ἀθήνη ἄσβεστον γέλω ὦρσε*, et invitis a dea per vim extortum menti-

bus perversis sqq. verbis *παρέπλαγξεν δὲ νόημα*, deinceps hoc potissimum agi videtur, ut et risisse jam a dea commotos narretur, et inter alia perversa risum secutas esse lacrimas et tristes curas. Eustathius quidem, qui ad h. l. quaedam admodum subtilia protulit, ipse fluctuatur: videturque idem nonnulla miscuisse diversa, credibile est enim, quae comparat ut similia *ξέναις γελᾶν παρειαῖς* et *ἀλλοτρίοις ἐσθίειν γναθμοῖς*, longe diverso modo dicta esse. Sed utcunque de Homeri loco statuatur, apud Horatium certe praefracte nego, licere cum Heindorfio de simulato risu cogitari tanto, ut debiter fingendus sit ridendo non magis malis suis pepercisse quam si alterius alicujus malis usus esset quasi mutuis sumtis. Nimis enim, si quid video, soluti isti cachinni a persona abhorrent, quam fingit poeta, callidi debitoris in jus rapti: quem credo consentaneum erat hominem imprimis vafrum ac versutum callide subridentem facere, non profuse ridentem.

Denique finem sic faciendum puto, ut profitear, si quid in his, quae disputavimus, bonae frugis inesse lectoribus visum sit, fere nihil me in his literis didicisse, quod non debam post fructuosissimam institutionem Joh. Dan. Schulzii, qui nunc magna cum laude Gymnasium Duisburgense moderatur, imprimis magistro incomparabili, quem quanta maxima cogitari potest pietate veneror, viro magnifico, Godofredo Hermanno. Cujus a disciplinae usu quanquam jam ante hos quinque fere annos avocatus sum, tamen perpetuo quasi praesenti illo doctore, monitore, hortatore uti mihi visus sum ita, ut, dum quotidie illius viri memoriam pia mente recolerem, nunquam non vires adderentur imbecillo. Denique quum crebro illius admirabile in omni rerum genere exemplum intueor, atque

verba, vitam, vultum ipsum animo mirifice commoto contemplor: in illo mihi ut in nemine eorum, quos novi, alio elucere videtur magna vis praeclarae neniae, Flacco teste et maribus Curiis et decantatae Camillis, quae et nunc illius memoriam repetenti aures personat,

„Rex eris, si recte faxis: si non faxis, non eris.“

INDEX.

Quoniam quorundam interesse putavimus, hunc indicem subjecimus.

τιθέναι et *τίθεσθαι*, ponere, sumere, p. 21.

Thucyd. l. I. p. 86. l. II. p. 75.

Verba *στρέψασθαι φοράν* ut *στρέψασθαι στροφήν* p. 90. Quod genus jam notatum est a Triclinio ad Soph. Aj. v. 207., quo loco *τί βάρος ἐνήλλακται* eodem modo ille compositam dicit formulam quo *τίνα ἐναλλαγὴν ἐνήλλακται*. Ceterum vide, ne eadem ratio sit plurimorum locorum, in quibus confusam plerumque volunt duplicem structuram ejusdem verbi.

Xenoph. Anab. V. p. 20. Hist. Gr. p. 43. Oecon. p. 33. Mem. p. 34. 68. Sympos. p. 78. Hier. p. 45.



